sua usi sunt. Quamquam aliter CARTHAGINENSIUM le-
A gibus. Nam re malè gesta, dux omnino cruci affigebatur, & Asdrubal, quòd malè adversùs Cæcilium Metellum pugnasset, absens capitis damnatus est. Sed & illud vulgare est de Himilcone duce, quo pacto victus primo Punico bello, pœnam hanc fortissimè effugerit. Sed culpa sua malè pugnasse, sæpissimè sua pœna, & mulctâ est animadversum. C. Cotta P. Aurelium sanguine sibi conjunctum, quem obsidioni Lipari tanæ ad auspicia repetenda Messanam transiturus præfecerat, virgis cæsum militiæ munere inter pedites fungi coegit, quod ejus culpa ager incensus, & castra penè capta essent. *P. Herod. ex Val. Max. lib. 4. c. 2. & Oros. lib. 4. c. 9.*

Victor Pisanus rei maritimæ Venetorum Imper. cum Genuensibus ad Polam congressus, magna clade affectus est. Advocatores auctores fuere, ut abrogato illi Imperio (tametsi partim hostium insidiis, partim præfectorum quorundam segnitie, qui in tempore non adfuerant, superatus) carceri manciparetur. E quo tamen non multo pòst solutus, veterique dignitati restitutus, præclaram operam Andreæ Contareno duci præstitit, ut fuso, fugatoque Genuensi hoste, Clodia sit recepta. *Egnatius lib. 2. c. 4.*

B Antonius Grimanus Venetæ classis, quam Turciæ opposuerunt anno 1499. præfectus, quòd hostes, cùm ab Sapientiæ portu egrederentur, & iterùm ad Lepanti sinus fauces, vincendi occasione usus non esset accusatus, successore ei dato, Senatusconsulto Venetias est revocatus: causaque Senatui Rogatorum permissa, in quo multos menses summa expectatione, hinc illius auctoritate & amplitudine defendente, illinc accusatoribus multis argumentis, ac testibus persequentibus acta est: Tandem cùm, sive viri auctoritate, & propinquorum multitudine, sive quòd in eo Senatu, cui multi prudentes viri inter sunt, non tam publici rumores, & non satis probatæ calumniæ ponderarentur, quàm maturo judicio rei veritas indagaretur, fuit hæc causa per tribunos plebis, quos communes Advocatores appellant, ad majorum comitiorum judicium deducta: ubi vel gratia cessante, vel multitudinis levitate senatoriam gravitatem superante, non tamen ante sequentis anni 1500. finem perpetuo exilio in Ossarum insulam relegatus fuit. *Guicciard. lib. 4.* Alii malunt in Cretam gravi etiam indicta pœna, si finibus excessisset. Qui tamen Romam ad Cardinalem filium clàm profectus, & non multò pòst patriæ
C restitutus procurator primùm, tandem verò in Lauredani clarissimi principis locum subrogatus est: memorabile planè exemplum posteritati futurus. *Egnatius lib. 2. cap. 4.*

REMISSIOR POENA.

☞ *Ex loco Indulgentiæ, huc ploraque referenda.*

Trogloditarum lex erat, ut qui tyranni uxorem corrumperet, ove mulctaretur. *Alex. lib. 4. c. 1.*

Cumæi in adulterio deprehensam, omnibus exhibent subigendam. *Ibidem.*

Mulieri cuidam, quæ spontè filium parvulum occiderat, ut in monasterium aliquod secedat, consulit Alexander III. Pp. in quo peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si tamen repugnante carnis fragilitate, ad hoc induci noluerit, in Domino nubat. Tutius est enim, inquit, in Domino nubere uni soli, quàm inhonestè multos admittere. *Lib. 5. Decret. tit. 10. cap. 1. Veniens.*

INDECORA POENA. VEL RATIONE
Loci.

D Cestius erat ex eorum numero, qui contemnebant Ciceronis ingenium: hic cùm fortè accumberet in eodem convivio cum Cicerone M. Tullii filio, qui tum Asiam obtinebat, & submonente quopiam è famulis, cognitum esset, eum esse Cestium, cujus judicio nihil sciret M. Tullius, illicò sublatus è convivio, jussus est flagris cædi. *Seneca in Decl. Modi.*

Expeditionem parantibus in Siciliam Atheniensibus, prætoribus Alcibiade, Nicia, & Lamacho, una nocte statue Hermæ dicti, maxima ex parte facie mutilati fuere. Intereà servos nonnullos, & incolas produxit Androcles concionator, qui Alcibiadem, ejusque amicos aliorum laceratorum signorum, & effictorum per vinum mysteriorum insimulaverunt. Hi Theodorum quendam ostenderunt existe præconem, Polytionem tædiferum Alcibiadem hierophantem, cæteros sodales astit isse mysteriis initiatos appellatos mystas. Cæterùm cùm nautas, & milites sui haberet studiosos Alcibiades, in Siciliam navigare jussus est: bello confecto, iisdem legibus cau- E sam diceret. Profectò Alcibiade, Athenienses conjecerunt in carcerem eos, qui quavis de causa fuerunt delati, inauditos: pœnituitque eos, quòd flagrantibus delictis tantis, in judicium non rapuissent, damnassentque Alcibiadem. Neque tamen certi, vel firmi indices demonstrarunt. De quibus rogatus unus, quemadmodum vultus eorum, qui truncaverat simulacra, cognovisset: ubi respondit: Ad Lunam, toto cœlo erravit: nam fuerunt hæc interlunio admissa, excitavit id quidem sanorum hominum stupitum; populus verò ne hoc quidem fecit ad calumnias remissiorem: sed eodem, quo cœperat, perrexit impetu vincula dare & conijcere, quicunque esset delatus. Populus postquam à violatoribus signorum discessit, acriùs quasi otiante bile in Alcibiadem totus incubuit. Postremò misit ad eum triremem Salaminiam. Atque hoc quidem diserte dedit missis in mandatis, vim ei ne admoverent, neque inijcerent manus: sed lenibus verbis ut aggrederentur eum, denunciarentque, ut ad causam dicendam sequeretur, & purgaret se ad populum. Thurios progressus, cùm ex nave descendisset, abdidit se, elapsusque est investigantibus ipsum. Cognitus à quodam, qui dixit: non fidis Alcibiade patriæ tuæ? F Cætera, inquit omnia: sed de capite meo ne matri quidem: ne fortè pro albo atrum calculum imprudens inijciat. Post capitis se damna tum à civibus: Atego, inquit, illis ostendam me vivere. Ut primum Thuriis profugus trajecit in Peloponnesum, Argis hæsit aliquamdiu. Formidans autem inimicos, deposita recuperandæ spe patriæ Spartam ad petendam fidem publicam misit: priores injurias ostendens, quibus se fuerat ultus, majoribus commodis, & emolumentis pensaturum. Qua data, recipientibusque eum Spartiatis, alacris eò profectus unum illicò perfecit, ut omissa cunctatione, & procrastinatione Syracusanis ferrent suppetias, erexitque eos, atque incitavit, ut duce misso Gylippo, convellerent vires in Sicilia Atheniensium: alterum etiam moverent Atheniensibus ex Peloponneso bellum: tertium & maximum, ut munirent Diceleam: quod urbem Atheniensem æquè, ac nihil aliud pressit: contrivitque. *Plut. in Alcibiade.*

Clagefurti, oppido Carinthiæ, solent iis, quos furti suspectos habent, haud diligenti investigatione priùs facta, in furcis cervices frangere. Triduò autem post inquisita re per ju- G dicium, si verò furtum fecisse, quo arguebantur inventi sunt, furcis appensos relinquunt. Quòd innoxii fuisse judicentur, à furcis detracti, impensa publica cum honoris præfatione sepeliuntur. *Fulgosus lib. 2. c. 1. & Æn. Syl.*

Friderico III. Imp. in Italia absente, Baumkircherus cum proceribus Austriæ contra Imp. res molitus est. Cæsar sub fide publica, sex è principibus conjurationis Neapolim vocatos indicta causa, & violata præter dignitatem suam fide, clàm in hortis capite mulctavit. Rogatus ab his antequam supplicium sumeret, Cur datam fidem læderet? respondit: Æquum, & fas esse, perfidis, & parricidis violare fidem, & scelus arte pari punire. *Bonfin. lib. 4. Decad.*

Civis Uratislaviensis, honesto domi loco natus, copiisque rei familiaris locuples, & existimatione inter primos habitus, negotii cujusdam sui gratia in Poloniam profectus, divertit in oppido quodam in domum meritoriam. Ibi caupo quingentos hospiti aureos clàm subducit, accusatusque furti, crimen metu tormentorum fatur, reddere ablatum paratus, nec aliud quicquam hospes petebat. Cæterùm judex, & decuriones oppidi instare, ut legibus illorum satisfiat, quæ sanciunt, H ut accusator furti manibus furem in furca suspendat: aut si id munus pertinaciter recuset, ipse à fure suspendatur, si fur id exequi voluerit: quod ille promptissimè se facturum recepit. His verbis exanimatus metu hospes, ignominiam, infamiamque supplex deprecatur, donatque gratuitò judicibus totam illam summam sibi ereptam, modò abire incolumis liceat. Negant illi fas esse custodibus contra leges quicquam agere. Quid multa? quando nihil æqui impetrat, facere quàm pati quod necessitas jubebat, maluit: continuoque Cracoviam ad regem Poloniæ perrexit, qui legis hujus barbaræ non solùm testem se exhibuit, sed literis prætereà suis regiis ab omni infamia illum purgavit, quas Uladislaus quoque Boemorum, & Hungarorum rex suo diplomate confirmavit, addita mulcta, si quis factum illud ei exprobraret. At nemo rursus extabat, qui facinus illud seriò excusaret, sed metu mulctæ omnes mussitabant. Hanc demùm Uratislaviensis rationem hominis in pristinam dignationem restituendi, inveniunt: creant eum præfectum, quem ipsi Capitaneum vocant, qui nobilitatis ad juris-

jurisdictionem Uratislaviensem pertinenti tanquam judex præ-
A esse solet: quem honorem si ille assecutus fuisset, cætera omnia salva esse videbantur. Nobilitati valde turpe visum, in subselliis assidere ei, in cujus vita tam manifesta hæret infamiæ macula: contra cives literas regias opponebant, quibus omnis prorsus nota detergebatur. In hac igitur difficultate Rex Uladislaus medium quiddam censuit, utrum præfecturam urbis ille gereret, posteàquam à civibus rursus in senatum allectus esset, removerant enim illum è Senatu. Sed nec pòst, hanc regis sententiam eum in locum restituerunt. Ita nec senator, nec præfectus, sed ut privatus tandem mortuus est. *Dub. lib. 32.*

INJUSTAM CORRECTIONEM Fugere. Videlicet Respectu

PERSONARUM. Erga

INSONTES, IMMERENTES. TUM

Non Accusando.

B Scribit Theopompus, cùm populus Atheniensis Demosthenem accusatorem in causa quadam eum nominaret, obstrepere autem morem non gerenti, surrexisse eum, ac dixisse: vos me, Athenienses, consiliarium vel inviti habebitis, calumniatorem nè si volueritis quidem. *Plut. in Demost.*

P. Scipio Africanus posterior, censor, etsi sciret C. Licinium sacerdotem verbis conceptis pejerasse, tamen accusante nemine, ne in persona ejus & accusatoris, & testis, & censoris, & judicis partes egisse videretur, equum sine nota traducere jussit: recognoscebat enim tunc equitum centurias. *Val. lib. 2. c. 1. & Plut. in Apoph.*

Q. Scævola augur, quamvis ei gravissimè minaretur L. Corn. Sylla, eò adduci non potuit, ut C. Marium hostem judicaret, à quo urbs, & Italia conservata esset. *Val. l. 3. c. 8.*

Testimonium, vel Accusationem in eos non admittendo.

Cùm Publicanus manum in Xenocratem philosophum injecisset, eumque in carcerem traheret, tributi non soluti nomine liberavit Xenocratem Lycurgus orator, quia omnino quenquam duci hac de causa non oportuit, sed tantùm cogi pigno- C ribus captis. Sed & quia minimè omnium, tantum, tamque eximium virum duci oportuit, ipsum exactorem ultra quàm deceret importunum & injuriosum, in carcerem coniici jussit. *Paulus Ærodot. ex Plutarch. in vit. decem Orat.*

Cùm inter C. Julium & Cn. Pompejum Serabonem magna esset de T. Albutio accusando contentio, idque in eo judicio versaretur (quod divinationem appellabant, illiusque controversiæ genus est, quæ Translato dicitur) uter eorum legis judiciique magis idoneus esset: quamvis Pompeii auctoritas, & eloquentia valebat plurimùm, tamen quia Julius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod à Sardis rogatus accesserat. Cn. Pompejus denique contra morem majorum delinquere videretur, quòd Albutium, cui quæstor olim fuisset, potius accusare vellet, quàm has partes alteri relinquere: atque id si vel jure posset, piè tamen non facere. Etenim Prætorem Quæstori suo parentis loco esse: neque justiorem ullam, aut graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm conjunctionem sortis, quàm provinciæ, quàm officii, quàm publicam muneris societatem. Ideòque nec L. Philoni in C. Servilium, neque Aurelio Scauro in L. Flaccum nominis D deferendi potestas olim data fuisset, quamvis eò quòd Quæstores fuissent, hoc Prætorum suorum crimina melius nosse se dicerent: Placuit, ne libido violandæ necessitudinis auctoritate judicium comprobaretur, Pompejum admiti non debere. *P. Ærod. ex Cic. de Divinatione.* Similiter & posteà inter L. Pisonem, & Q. Cæcilium: M. Tullium Ciceronem, & Q. Cæcilium Nigrum: hic cùm de C. Vertis: illic de Gabinii accusatione quæreretur, pronuntiatum est, ut Quæstori Q. Cecilio ne subscribendi quidem facultas concessa sit. *Idem ex eodem.*

Non puniendo, non condemnando.
Insontes.

SOCRATES Atheniensis, licèt ejus potestatis esset, cujus arbitrio plebiscita ordinarentur, X. prætores, qui apud Arginusas Lacedæmoniam classem deleverant, capite damnare recusavit: indignum judicans, tot ac tam bene meritos ex indigna causa impetu invidiæ abripi. *Val. Max. l. 3. c. 3.*

Cùm Thessalorum negotiatores è Syriis nonnulli violassent, suaque propria mercede spoliavissent: re delata ad Am- E phictyonas, tota respublica Syriorum damni injuriæ nomine mulctata est. Sed huic judicio Populus Atheniensis obsequi noluit: quia delicti pœnam, & culpam in auctores, non in commune judicaret reiici oportere. Publicam enim causam à privatorum culpa segregandam: & si in civitate à multitudine peccatum est, non protinus bonis, aliisque innoxiis imputandum esse. *Ærod. ex Plut. Cimone.*

OLYMPIAS, ut insontis cujusdam necem Alexandro filio exprimeret, gravis insusurrabat novem mensium in utero gestationem. At ille: Aliam inquit, optima parens reposce mercedem. Hominis salus nullo beneficio pensatur. *Cæl. l. 16. c. 5. A. L.*

MERCATOR quidam pontem transiens, plaustrum cum mercibus casu subverterat. Præfectus defert rem ad Joannem Danum, Archiepiscopum Bremensem, quasi naufragium: merces enim tetigisse terram, & ideò cecidisse in commissum, ut confiscarentur. Accusavit Archiepiscopus, increpans præfectum, quod pontium curam non haberet, nisi peccasse hominem, qui culpa præfecti in calamitatem incidisset, sed etsi quid peccasset, non tamen idcirco amissurum sua. *Crantz. l. 8.* F *Metrop. cap. ult.*

Inauditos.

HENRICUS II. cùm Italum servum in carcerem duci jussisset, non adjecta causa, Judices hominem liberarunt, priùs tamen admonito rege. Rex jussit illum condemnari, cùm religiosè, ac sanctè juraret, se hominem in scelere turpissimo deprehendisse, quòd evulgari nollet, ac judicibus succenseret, quòd sibi affirmanti fidem non haberent. Liberatus est tamen à judicibus, & carceribus ereptus: sed posteà jussu regis in flumen Sequanam noctu demersus, ne insolentia facti populum perturbaret. Actum esse Meloduni, refert *Joannes Bodinus in Methodo hist. c. 6.*

SONTES, NOXIOS: EOS
Non fovendo.

CAROLUS Magnus in Synodo Durensi, c. 8. homicidas, & alios facinorosos, qui juxta leges capitali supplicio afficiendi sunt, si ad Ecclesiam confugiant, vetat excusari, aut victu foveri. G

Non defendendo.

Vocato in crimen Harpali causa Chariclè, oranteque Phocionem socerum, ut præsto esset sibi, & in judicio assisteret, renuit dicens: Ego te, Chariclè, ad omnia honesta generum adscivi. *Plutarch. in Phoc. in præcep. Pol.* Charillus dicitur.

AUGUSTUS Cæsar amicos ita magnos, & potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent, quo cæteri, legibusque judiciariis æquè tenerentur. Cùm Asprenas Nonius arctiùs ei junctus causam veneficii, accusante Cassio Severo, diceret: consuluit Senatum, Quid officii sui putaret? cunctari enim se, ne si superesset, eripere legibus reum: sin deesset, destituere, ac prædamnare amicum existimarentur. Et consentientibus universis, sedit in subselliis per aliquot horas: verùm tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali data. *Suet.*

PAPINIANUS Jurisconsultus, ne defenderet prandium Antonini Caracallæ, interfici se permisit: dignus profectò qui jus doceret, cùm tanta constantia magnitudineque animi fuerit, ut ne quidem metu mortis adductus, ut contra justitiam faceret. Historiam habes apud *Roterodamum l. 9. Apoph. ex Spartiano*, cujus verba repetit *Volat. l. 18. Anthrop.* H

Non liberando.

Frater Antigoni Marsyas litem habebat: sed à rege postulabat, ut causa domi cognosceretur. Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter jus agimus, meliùs fiet in foro, cunctisque audientibus. Non impetravit hoc à rege fraternus affectus, ut vel tantillum de jure concederet. Ipsum autem hoc dilemma- te constrinxit: Si injustum causam habere te scis, cur litigas? sin justam, cur fugis hominum conscientiam, ad domesticas latebras rem fori pertrahis? non carituras sinistra civium suspicione, etiam si bonam causam viceris. *Plut. in Regum Apoph.*

PHILIPPUS Macedo, cùm Harpalus pro propinquo, & necessario Cratere injuriarum reo peteret, sibi ut liceret mulctam inferre, & ille judicio liberaretur, ne probis proscinderetur: Satius est, inquit, hunc ipsum, quàm ejus causa nos malè audire. *Ibid.*

Epaminondas Thebanus, cùm hominem nequam ob medio-
A cre scelus in vincula conjecisset, Pelopidæ efflagitanti, non dimisit, sed amicæ supplicanti concessit, dicens : Scorta decere, non Imperatores, ejusmodi dona accipere. *Plut.*

Catulus censor Catonem sibi arctissima junctum necessitudine rogavit, ut quendam ipsius judicio obnoxium (erat enim quæstor) missum faceret. Ille hunc in modum respondit: Turpe est nos, qui juventuti rectè instituendæ auctores esse debemus, à lictoribus irrideri nostris. Negavit asperitis, quod injustè petebatur. *Plut. in Catonis vita.*

Cùm in senatorem nocentem, & infamem reum judex sedisset Cato, tabellæque Cn. Pompeii, laudationem ejus continentes, prolatæ essent, proculdubio efficaces futuræ pro nocio : submovit eas è quæstione, legem recitando, qua cautum erat, ne senatoribus tali auxilio uti liceret. Huic facto persona admirationem ademit. Nam quæ in alio audacia videretur, in Catone fiducia cognoscitur. *Val.Max.l.6.c.2.*

CONTRACTUVM. CONTRACTUS INJUSTOS NON DEFENDENDO. UT
B Testamenta.

☞ *Vide Tit. Contractus injustos rescindere. Hic injusti fuga, illic Correctio spectantur.*

Mutuum.

C. Julius Cæsar de pecuniis mutuis, dissecta novarum tabularum expectatione, quæ crebrò movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent, per æstimationem possessionum, quanti quisque ante civile bellum comparassent, deducto summæ ærisalieni, si quid usuræ nomine numeratum, aut præscriptum fuisset. Qua conditione quarta ferè pars ctediti depetibat. *Suet.*

JUSTOS NON RESCINDENDO.

☞ *Quatenus non tribuit indigna, Distributivæ: quatenus non corrigit non corrigenda, Correctivæ Justitiæ munere fungitur.*

CORRECTIO NIMIA, CRUDELIS.

☞ *Vide in Loco de Impietate, Tit. Impietas Correctiva.*

CORRECTIO SUPERSTITIOSA.

C ☞ *Vide Superstitio, in fine. Illustrabit hunc locum alius de Veritate: ubi multa circa hoc Argumentum. Titul. Veritatis Practicæ exercitatio. Alios reprehendendo, &c. Item ex Loco de Urbanitate pleraque.*

* Corruptio.

CORRUMPERE. CORRUPTELA.

☞ *Vide Tit. de Injustitia. Muneribus. Institutione, sive Educatione vitiosa. Raptoribus. Crudelitate. Avaritia. S. Avaritiæ magistri.*

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

DEfiniunt Philosophi Corruptionem esse mutationem totius, id est, ex toto, sub eadem communi materia. Unde quòd per creationem, aut annihilationem accepit aliud esse, cùm illæ non sint propriè mutationes, non dicetur corrumpi. Est ergo Corruptio secundùm Physicos, mutatio totius in non totum. Sive destructio formæ substantialis. *Aristl.*
D *l.1.de gener.& corrupt.c.4.* Alioquin latiùs accipitur pro quavis rei destructione, sive diminutione, quando res quæpiam deficit à sua integritate, aut bonitate. Fortassis à corde, & rumpo derivatur. Cui enim cor frangitur, omnino destructus est. Transfertur etiam ad animum, & mores : quamvis tunc potius corruptela vocari soleat. φθορὰ Græcis. Unde φθορεὺς corruptor.

CORRUPTIO IN NATURALIBUS UNDE Oriatur?

Corruptio omnibus mixtis est congenita : tum quia componuntur ex materia contrariorum susceptrice, quæque alias, & alias formas appetit : tum quia, saltem viventia, constant ab intrinseco ex contrariis, quæ rei pariunt interitum. Formæ autem caducæ ideò corrumpuntur, quia, ut informant materiam, certas requirunt dispositiones : quibus amissis, servari ampliùs in ea nequeunt : cùmque extra materiam sint, evanescunt. Materia verò etiam corrumpi dicitur, quatenus generationis, & corruptionis est subjectum. *Videatur Aristotel. suprà.*

Corus.

☞ *Mensuræ genus. Vide Tit. de Mensuris.* E

Cosmographia. Cosmographi.

☞ *Vide multa in Loco de* Geometria, *&* Geographia.

Costa.

☞ *Ex Costarum fractione mortui. Vide Tit. de Morte.*

Ex costa formata prima mulier.

☞ *Vide infra Titul. de Creatione. §. Primæ diei opus.*

* Coturnices.

QUÆ, ET QUALES.

Dictæ à sono vocis Co, tur, nix, ait Festus.

ADHIBITÆ OLIM IN VICTIMAM, IN F
Sacrificiis. q. Victimæ.

Non adhibitæ Mensis.

OLim Coturnices à mensis ablegatæ, quòd largius comestæ generent epilesiam, & sanguinem putredinalem. Ut notat *Ulysses Aldrovandus l.13.c.22.* Verum *Hieron. Fracastorius* ait, *l.2. de morbo Gallico :*

Viteturque gravi coturnix tarda sagina.

Ideò autem veter eas removisse mensis, aliorum opinio est, quod veneno alantur, putarentque se eo quoque inficiendos. Certè comestas nauseam, aliosque morbos attulisse Hebræis colligitur *ex c.11.Numer.*

DATÆ HEBRÆIS, ET CUR.

Bis datas Populo ob carnium appetitum murmuranti contra Deum, & Moysen coturnices, colligitur tum ex *c.16. Exodi*, quando filii Israel erant in octava mansione, primo anno post egressionem ex Ægypto, tum ex *c.11.Numer.* in decimatertia mansione, quando erant in Sepulcris concupiscentiæ. *Josephus* autem asserit has coturnices per mare Rubrum alla- G
tas, vento afflante, ex sinu Arabico, ubi in maxima copia generantur. Ventum autem illum Deus produxit in eum finem, ut coturnices deferret : nam juxta Plinium, non volant illæ naturaliter vento Meridionali, sed Aquilonari. Hic autem ventus cujus meminit Scriptura ; fuit Africus, sive Libycus mare rubrum tali situ respiciebat desertum.

Cur verò coturnices dederit Deus, non aliarum avium carnes, Ratio esse potest, quòd ad manus esset earum copia, ut vult Josephus : vel juxta Abulensem, quòd in illa Regione coturnicum caro sit excellens. Addit Galenus contra alios, coturnices mederi epilepsiæ, ideòque Herculem conturnicem secum vexisse, quocunque pergeret, ut per eam epilepsiæ luæ mederetur. Hinc Poeta,

Servavit Herculem coturnix strenuum:

Mysticum sensum miflarum coturnicum quære apud *Cirill. lib.3.in Joan.c.34. Bedam in cap.23. Exod.* Tropologicum verò *apud Ulyssem Aldrovandum Ornitholog.l.13.c.22.*

Crapula.

☞ *Quære Ebrietas.* H

* Creatio. Creatura.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

CReatio, Græcè κτίσις, est productio entis ex nihilo, *secund. S.Th.2.Sent. dist.1.a.2.*

Creatio, Hebr. *Periach*, בְּרִיאָה, Creandi actus : à verbo *Para*, creavit, id est, ex nihilo aliquid paravit cui formam indidit, & hoc verè, ac propriè de uno vero Deo dicitur, *Gen. c.1.* Item, ex materia existente aliquid consultò condit : quod purum, bonum, pulchrum est, atque apparet : id etiam de Deo dicitur à Moyse, quando opus Dei sex diebus absolutum ostendit. *Gen.1.cap.* Scriptura nihilominus utitur voce creationis in quavis productione rerum magnarum.

Creatio differt à generatione : quia Creatio nihil præsupponit. Generatio autem præsupponit materiam, & ab omni alia mutatione, quia præsupponit subiectum. *B.Th. ibid.*

CAUSÆ

CAUSÆ CREATIONIS, ET CREATURARUM.

A Causæ Creationis cœli, & terræ, sive creaturarum, sunt : materialis, nihilum : latuerunt enim tota æternitate creaturæ in suo nihilo, & ideis suis in mente divina. Formalis, ipsa forma cœli, & terræ. Efficiens, Deus : Finalis, bonum nostrum. Audiatur S. Anselmus : Admoneo te, ut sine intermissionibus recorderis, quàm dulcis, & quàm bonus sit erga te creator tuus : quanta bonitas ejus fuit, quòd te, cùm non esses, creavit : & quod te non pecus, aut creaturam insensibilem, sed eam creaturam fecit, quæ cum posses intelligere, & amare, & cum eo suam æternitatem, æternaque, & felicia possidere. *Ansel. de misericordia Dei.*

Decebat, inquit Plato, ut à bono Deo omnia bona fierent. Unde & S. August. *l.1. Confess. cap.1.* cœlum, & terra clamant, Domine, ut amemus te.

ERRORES CIRCA CREATIONEM.

Primus error Stratonis Lampsaceni, qui finxit mundum ingenitum, & vi sua ab æterno extitisse.

II. Fuit Platonis, & Stoicorum, dicentium, mundum conditum à Deo, sed ex materia æterna, & ingenita, adeòque ex seipso, ut obiicit Hermogeni Tertullianus.

B III. Fuit Aristotelis, & Peripateticorum, qui volebant Deum necessitate Mundum ab æterno condidisse.

IV. Epicureorum fuit, qui docebant Mundum fortuita atomorum coitione, & conjunctione productum.

☞ *Pete ex loco de Mundo, hæc paulò fusius.*

VERITAS CIRCA MODUM, ET CAUSAM CREATIONIS.

Deus, qui per omnem æternitatem in se ipso fuerat beatissimus, seipsum volens effundere in creaturas, eas fecit ex nihilo, id est, nulla omnino materia præjacente. Idque solus, ut habetur *Isaiæ c.44.* per se, suamque omnipotentiam : nec alia actione, quàm jubendo, & dicendo. Fiat cœlum, & terra. Quomodo dicit David *Psal.32.* Verbo Domini cœli firmati sunt. Unde inferunt cum *S. Basilio*, alii Patres, eadem arte potestate, ac libertate, qua Deus universum hoc creavit, posse & alia plura creare, eademque annihilare. Septem Machabæorum mater ita unum è filiis affatur : Peto, nate, ut aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt : & intelligas, quòd ex nihilo illa fecit Deus.

ERRORES.

Errant hic Simoniani à Simone Mago ita dicti, Arrius, & C alii, dicentes Deum creasse Filium, & hunc creasse Spiritum S. Ab hoc productos Angelos, & ab his Mundum.

Erravit Pythagoras, Priscillianistæ, & Manichæi, asserentes duo esse principia rerum, sive duos Deos : unum bonum conditorem Spirituum : alterum malum, creatorem corporum.

VERITAS CIRCA TEMPUS.

Scriptura divina tradit, in Principio Deum creasse cœlum, & terram, id est, primordio, seu initio, non æternitatis, sed ævi, & temporis, quando simul cum mundo cœpit mundi duratio, puta tempus. Nisi intelligamus in Principio, ut idem sit, quod antè omnia. Quomodo dicit *Joann.c.1.* In principio erat verbum. *Vide S. August. l.1.de Genesi ad Litter.c.1.*

Creavit autem Deus vastam hanc universi machinam spatio sex dierum, ita ut septimo requieverit ab omni opere, ut habetur *Gen.c.2.*

Perfectis jam cœlis, & terra, omnique ornatu eorum. An verò in Vere, an in Autumno creaverit controvertitur, probabilius est, tempus creationis correspondisse Martio, sive æquinoctio vernali.

CREATURARUM DISTINCTIO.
D Per sex dies.

OPUS PRIMÆ DIEI.

Primo die, qui Dominicus erat, creavit Deus cœlum, id est omnes orbes cœlestes : & terram cum quatuor elementis, sive cum aliis intelligamus per cœlum, Empyreum, sive supremum, cœlum, quod etiam exornavit omni suo decore. Et per terram ipsum globum terræ cum abysso, id est aquarum mole terræ superfusa, & omnia implente.

Cum cœlo Empyreo Deus creavit Angelos, tanquam illius cives, & incolas. Ita velut definivit *Concil. Lateran. sub Innoc. III.* Fide inquiens firma credendum, Deum ab initio temporis simul utramque de nihilo condidisse creaturam : Spiritualem, & corpoream ; Angelicam, & mundanam.

Justitque, sive ut habet vulgaris editio, Dixitque, id est efficaciter imperando re ipsa produxit lucem. Id est corpus lucidum, quod fuit instar materiæ, ex qua postmodum distincta, ac divisa in igneos globos fuerunt astra. Unde S. Thomas hanc lucem vocat Solem informem.

Infernum quoque hoc die creatum, communior est sententia, idque in centro terræ, quod cor terræ vocavit Dominus B
apud Matthæum. Quia verisimile est Angelos non diu stetisse in gratia, illos inquam, qui ceciderunt, adeòque statim etiam detrusos in carcerem illum.

Ovidius loquens de creatione mundi, ita scribit *libro 1. Metamor.*

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis, indigestaque moles.
Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

OPUS II. DIEI.

Posito velut fundamento, Mundi fabrica, cui cœlum Empyreum tanquam tectum Deus superposuerat, creavit die secundo firmamentum, id est cælum stellatum, omnesque orbes illi vicinos, tam superiores, quàm inferiores. Et ita format abysum suam aquarum, cas dividens infra, & supra firmamentum, & vocavit Deus firmamentum cœlum, quasi ab obvelando, & cælando omnia inferiora. Nisi cælum dicas, quasi cælatum cum Ambrosio, id est depictum. Alii cælum F
volunt à κοῖλον id est cavum.

OPUS III. DIEI.

Tertio die Deus congregari jussit aquas in locum unum à terra separatum, & recipi in locum proprium, scilicet mare, ex quo omnes fontes, & flumina ad irrigandam terram egrediuntur. Unde & cavitate terræ, & montes tertio die productos colligitur. Itaque apparuit tunc arida, quo nomine Terram Deus appellavit, & congregationes aquarum, Maria.

Producta verò arida, simul produxit omnia germina, & plantas, easque justæ, & perfectæ magnitudinis, ut docent communiter DD. & quasvis arborum, & fruticum species, ac earum plerasque cum fructu maturo. Existimant plerique, ex quo Deus hoc die perfecit, & ornavit Terram, etiam produxisse metalla, mineralia, fossilia, & ventos. Ut sine quibus neque homines, neque plantæ vegetantur.

OPUS IV. DIEI.

Quarto die Deus creavit Solem, Lunam, & stellas, rarefaciendo unam cæli partem, ut alteram condensaret : & expulsa cœlorum forma, aliam inducendo. Quomodo ex aquis produxerat die secundo firmamentum. Hoc etiam die orbes G
planetarum divisi fuerunt in partes, sive circulos excentricos, concentricos, & si qui hujusmodi. Putatur autem Sol productus in principio arietis : tum enim incipit Ver : & Luna ut erat opposita Soli, nempe in initio Libræ, ita ut fuerit plenilunium. Videatur Beda.

Dies, & noctes, ac anni tempora etiam hoc die distingui cæperunt : dataque sunt signa prognostica ventorum, pluviæ, serendi, metendi, &c.

OPUS V. DIEI.

Creavit Deus quinto die aves, & pisces ex aqua : priores quidem secundùm Augustinum *l.3. de Genesi ad liter.c.3.* ex aqua subtiliori, quæ ad aerem accedat : posteriores ex densiori. Vocantur autem à Moyse, pisces reptilia, quia carent pedibus, & incubant aquis quasi remigantes. Creata sunt hoc die Cete grandia, hoc est maximæ balenæ, est enim Tanninim, quod Judæis significat balenas.

OPUS VI. DIEI.

Datæ erant prioribus diebus, velut incolæ aeri, & aquæ : igni enim nulli incolæ dati sunt propter activitatem summam : unde nullum animal diù in igne vivere potest, ne quidem Sa- H
lamandra : nam duas expertus fuit pareris meus Adrianus Beyerlinck Pharmacopæus excellens me præsente, & experientia edocti fuimus, eas frigore suo prunas nonnihil sopivisse. At statim flamma accedente, consumptas esse. Igitur nunc terræ dantur incolæ. Cæterum.

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est, &c.

Sed prius omnes animalium terrestrium species productæ fuerunt, illæ inquam omnes, quas homogeneas dicimus, id est, quæ ex maris, & fœminæ commixtione, ex una tantùm specie nasci possunt, sive eæ venenatæ sint, sive carnivoræ, ac ad invicem inimicæ : sive denique forent domesticæ, ac mansuetæ.

Minuta tamen animalcula, quæ ex putrefactione oriuntur, exhalatione, sudore, &c. uti & hybrides, puta animalia, quæ nascuntur congressu diversarum specierum, putantur hoc die

die formaliter non fuisse producta: sed potentialiter, & in
A ratione seminali, quamvis nonnulli contrarium sentiant.

Tandem postquam omnia animalia rationis expertia Deus produxisset non jam jubendo uti prius, sed velut deliberando, & consultando, Deus Pater alias personas divinas alloquitur: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, &c. *Gen.c.4.*

Et creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam: dans ei animam rationalem, æternam, incorruptibilem, intellectu, & voluntate præditam, scientiæ, virtutis, beatitudinis capacem. Item gratiæ, & justificationis, qua divinæ fiat consors naturæ.

Et quidem quoad corpus etiam, ut canit *Ovidius;*

Pronaque cùm spectent animantia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Igitur producto Adamo de limo terræ, dixit Deus, Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Et misit soporem in Adam, quem paulò antè in Paradisum voluptatis transtulerat, ut operaretur, & custodiret illum, cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus (nempè, quæ instar
B seminis, quatenus ille erat caput naturæ, & velut seminarium hominum omnium, in ipso fuerat collocata) non quidem nudam, sed carnosam: & ædificavit eam in mulierem, & adduxit eam ad Adam, qui non ignorans, quid circa se factum fuerat, dicebat: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & vocabitur virago, quia de viro sumpta est. *Genes.c.2.*

Ob Creationem Grati Erga Deum.

☞ *Quære Gratitudo.*

Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto hoc modo; nec enim tam facilè refectus, quàm factus. In primo opere, me mihi dedit, in secundo se, & mihi se dedit, neque mihi reddidit, datusergo, & redditus pro me debeo, & bis debeo. Sed quid domino pro se retribuam? nam & si millies rependere possim, quid sum ad dominum meum? *Bernardus de diligendo Deo.*

Justum est, ut creatura laudet Deum creatorem. Ipse enim ad laudandum se creavit, qui nostris non indiget laudibus. Est
C autem virtus incomprehensibilis nullius indigens, ipsa sibi sufficiens: magnus enim Dominus noster, & laudabilis valdè. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, scribat manus, atque in his sanctis studiis fidelis animus se exerceat. *Aug.l.Supportationum, part.3.c.1.*

☞ *Requirantur nonnulla in Loco de Mundo.*

* Credulitas.

Definitio, & Etymologia.

CRedulitas Græcè πιστευθεία, dicitur: & est facilitas in credendo. Estque duplex, scilicet temeraria, & levis. De hac *Ovid.*

Sed quia credulitas damno solet esse puellis.

Quædam verò probabilis, & discreta. Est autem magis error quàm culpa, ut ajebat *Plancus Ciceroni*; & tamen, inquit; in optimi cujusque mentem facilè irrepit.

Lucret.l.3.de Nat. rerum

D *Sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primùm*
Difficilis magis ad credendum consset: itemque
Nil adeò magnum, neque tam mirabile quicquam,
Quod non paulatim minuant mirarier omnes.

De eadem *Ovid.l.5.de Trist.*

Vix equidem credar; sed cum sint præmia falsi,
Nulla ratam testis debet habere fidem.

Etiam audiendus *Hor.l.1.Epist.ad Quin.*

Tu rectè vives, si curas esse, quod audis.
Factamus jam pridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor ne cui de te plus, quàm tibi credas.
Neve putes alium sapiente, bonoque beatum.

Exempla S. Scripturæ.

In Sacris litteris nimiæ credulitatis exemplum nobis donant primi parentes, Adam, & Eva: hæc quidem subdolis inveterati serpentis suggestionibus leviter auscultando: ille verò amorem uxoris Dei mandato præferendo. *Genes.c.3.*

Etiam Putipharis Eunuchi Pharaonis ingens credulitas erat, quam uxori deferebat, dum Josephum castissimum adole-
E scentem de vi sibi illata accusaret, & fidei argumentum ostenderet pallium, quod is in manibus illius reliquerat, dum paulò antè ab ea expetito stupro fugisset. De quo ita Moyses *Genes.* 29. His auditis Dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valdè, tradiditque Joseph in carcerem, &c.

Josue dux populi Hebræorum, Gabaonitas, qui se de terra longinqua venisse simulaverant, induti vestes perantiquas, &c. suscepit nimium credulus verbis eorum, & os Domini non interrogavit. Unde facta cum iis pace demum intellexit, quòd in vicino habitarent. *Josue c.9.*

Postquam David misisset nuntios ad Hanon Regem Ammonitarum, qui eum consolarentur super interitu patris sui, ille Principibus suis factum Davidis proditionis cujuspiam insimulantibus fidem adhibuit, & nuntios, qui ad consolandum, & fœdus cum eò ineundum venerant, indignis modis excepit, rasa dimidia barba eorum, præcisisque vestibus usque ad nates. Quo factum ut David adversùs illum ingentem exercitum miserit, eumque profligaverit. 2.*Reg.*10.

Aman principi, contra Judæos conspiranti, & exitium illorum deposcenti, Assuerus credidit, & annulum, quo decreta regia signabantur, ei dedit, addens: de populo age, quod tibi F placet. Unde mox ad universas Provincias missæ sunt Literæ Regis, ut occiderentur omnes Judæi à maximo usque ad minimum, uno die scilicet XIII. die mensis Adar. *Esth.c.3.*

* Exempla Historica.

Tiberius Cæsar, causa præcipui quæstus, tantùm delatoribus tribuit, ut nemini fidem abrogaret, sive quid veri, sive vani referret. Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas jocantium, & quodcunque dictum capite, & fortunis luebatur, adeò ut capitale esset, circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestem mutasse, effigiemque impressam nummo, vel annulo, latrinæ, aut lupanari intulisse, dictum, factumque ejus aliqua æstimatione læsisse: ita ut primores senatus, & magna hominum vis, infimas delationes exercerent. Cùmque senatus de præmiis accusatorum abrogandis aliquando agendum putaret, Tiberius dictitans jura subverti, si custodes legum amoverentur, tantùm licentiæ delatoribus dedit, ut plerique criminis postulati, ante judicium supplicium prævenerint. Vitellius quoque delatos mathematicos, inauditos capite punivit, Domitianus dum rapinis intendit animum, ita aures dela- G
C toribus patefecit, ut nihil cuiquam tutum esset, delatorque delatorem timeret, & caudidici causarum actionibus posthabitis, ad delationes se conferrent. Quod de Constantino item traditur, ut delatores omni tempore admitteret, eosque ingenti studio soveret. *Alex.ab Alex.l.4.c.22.*

D.Augustinus posteàquam excussa Manichæorum hæresi Academico more assensionem cohibere didicit, D. Ambrosii Episcopi concionibus assiduus interfuit, ut audiret quidem, sed omni tamen conatu credere reluctaretur. Quoad tandem ipse secum reputare cœpit, quàm multa, & ab historicis, & à medicis, & à quibusvis aliis fide dignis scripta, & audita, ipsos quinetiam natales suos, crederet, quorum demonstratio nulla esset: quæ nisi crederentur, vita hominum summa perplexitate repleretur. Hoc argumento usus etiam sacris litteris fidem adhiberi posse arbitratus est: præsertim cùm & auctoritas illarum apud omnes summa esset, & humillimo orationis stylo divina mysteria continerent, & ad honestatem vitæ, Deique gloriam omnia referrent. Itaque sensim ad credulitatem piè traductus fuit. H

☞ *Require Accusatio.*

Crepitus.

Sive Efflatus Ventris.

Quem Stoici æquè liberum, ac ructum esse debere affirmabant.

☞ *Vide Tit.de Pudore, §.ob excreationes, de Silentio, §. propter quid? pudorem, &c. De inhumanitate. §. quod excreationem corporis, ructum, crapulam, &c. crepitum.*

NOtum est proverbium, βοῦς ἀπὸ πορδῆς, de iis, Qui crepitum ventris tussi oblinere conantur.

De Bassa, *Martialis Epigram.l.4.*

Infan-

Infantem secum semper tua Bassa, Fabulle,
A *Collocat, & lusus, deliciasque vocat:*
Et quod miveris magis, infantaria non est.
Ergo quid in causa est? perdere Bassa solet.

* Creta. Cretenses.

Creta Qualis Insula.

Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ,
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

DIcta Cureta, ut volunt plerique, à Curetibus, qui fuere Corybantes, vel à Crete Nympha, Hesperidis filia. In quo mari jaceat, incertum, Libyco, an Jonio, an Ægyptio. Forma oblonga est. Longitudo est 270. mill. passuum, latitudo 50. Ambitus 688. montes habet Idæum, Cadiscum, & Dictam. Ida tamen reliquis eminet, ita ut ante ortum Solis solem videat. Ut est auctor *Lucret.*

—— *Idæis fama est è montibus altis*
B *Disperfos ignes orienti lumine cerni.*

Mira soli fertilitas est, & indulgentia, abundat fructibus arboreis, & vino præstantissimo, quod Malvaticum vocamus. Olim centum urbes habuit. Hinc ab *Homero* 2. *Iliad.* dicta est Hecatompolis.

Reges.

Primus hanc insulam rexit Jupiter, tum Rhadamantus, post hunc Minos, deinde Græci. Romanorum imperio subjecta fuit à Metello, qui ex hinc Creticus appellatus est. Constantinopolitani eam tenuere postmodum. Balduinus Flandriæ Comes, & Imp. Constantinopolit. eam dedit Marchioni Montisferrati, qui eamdem vendidit Venetis ann. 1194. ingenti pecuniæ summa, atque hodie imperium illorum agnoscit, nisi quod Turcis tributum pendat.

Incolæ.

Incolæ hujus Regionis, sive soli genio, sive suapte vitio, ad mala semper fuerunt propensissimi. Unde *S. Paulus* ex Epimenide eorumdem Poeta, & Propheta.

Cres mendax, mala bestia, ventrem pascit inertem.

Mendacia illis ita propria, ut mendaces dicantur Cretenses, & Cretizare. Fuerunt in venerem proclives adeò, ut pueros
C etiam nobiliores licitè raperent, quibus bimestri abutebantur, & tunc muneribus donatos remittebant. Auctor est *Strabo l.10.* didicerant hoc in schola sui Jovis Ganymedem rapientis, quem fabulabantur in monte Ida fuisse servatum. Memorat *Strabo*, idcircò olim decretum apud Cretenses ut statim à pubertate conjugium initent, ut ea ratione infamem illam pederastiam vitarent.

Vocantur etiam malæ bestiæ ab *Epimenide, & Paulo*, ob mores ferinos, & crudelitatem. Item ventres pigri, quod instar porcorum suffarciendo aqualiculo incumbebant. Ita *Lucil.*

Vivite larcones, comedones, vivite ventres.

Proverbium vetus est Δίκαιος Κρὴς ἀπὸ κόπου: quod de Cretensi, Cappadoce, & Cilice accipiunt. *S.Aug.* interpretatur *c.3. de Grammat.* de tribus Corneliis, Sylla, Cinna, & Lentulo. Itaque merito commendat Paulus Tito suo, ut mores Cretensium corrigat, eosque durè increpet. *Epist.ad Tit.c.1.*

Cretenses navibus, & sagittis polluisse scribuntur, quod fortassis ita accipiendum, quia inter Græcos primi ea studia fuerint sectati.

Crimen.

☞ *Videatur Tit.de Mendacio, Crimen affingere. Item de Silentio, Crimen celare. Criminum pœna varia. Vide Tit. Severitas, Punitio, Crudelitas, &c.*

Crines.

☞ *Quære Capilli.*

* Critici.

Definitio, et Etymologia.

CRitici veteri nomine dicuntur, qui aliorum scripta censent, & dijudicant. ἀπὸ τῆς κρίσεως, quasi à judicando, tales olim erant Aristarchus, & Aristophanes Grammatici, qui tantùm sibi in hoc genere arrogabant, ut & Homeri versus E quòc emendarent, & submoverent ceu adulterinos. Talis etiam fuit Ennius. De quo *Horat.Epist.l.4.*

Ennius, & sapiens, & fortis, & alter Homerus.
Ut Critici dicunt,

Officium.

Criticorum munus ut debitè, & cum decore quis deferat, non est aliorum scripta ita censere, ut eorum esse desinant; sed illustrare, aut emendare, si quid in veteribus scriptis torvum, aut ad ritum piscum minus lucidum, aut nævus aliquis à barbarie vel ævo nostro, quo Typographia studiorum alma nutrix nata est, quæ tamen sæpè etiam librorum corruptrix, invectus.

Ita Criticam hanc exercuit nuper *Justus Lipsius* decem libris luce donatis, quorum quinque antiquas Lectiones illustrant, alii quæstiones Epistolicas enodant. Sunt tamen nonnulli, qui etiam hoc argumentum tractarunt post Lipsium; verùm ii ex illius aut contubernio, aut disciplina, vel exemplo. Inter alios *Philippus Rubenius* urbi Antuerpiensi à Secretis, edidit Critica quædam *Tit. Electorum*, quorum etiam duos libros protrusit *Lipsius*. Adversùs illos Censores, & Correctores, qui aliorum scripta mutilant, lacerant, evertunt, eò quod eorum aures non impleant, aut minus recta videantur, scripsit Satyram Menippeam *Justus Lipsius*, quia adhortatur omnes Litterarum Præsides, ne istud Censorum genus velut Tarquinios aliquos, grassari impunè patiantur. Ubi etiam plura vulnera commemorat, quæ isti variis scriptis, & melioribus Scriptoribus intulerunt.

Censura. Et Leges.

De Correctoribus hujus ævi censuram hanc deprimit idem *Lipsius*, certamque formulam tradit, quam observent. Nos ex illo adscripsimus.

Correctores, hoc difficillimo rei literariæ tempore utiles, necessariosque esse.

Non eos tamen promiscuos, non indoctos, rupices, petrones. Sed qui consilio, reque ipsa juvare Scriptores priscos possint.

Ea re Senatui placere, uti lex Annaria servetur: ne quis minor XXV. annis Correcturam petere, gerere possit. Quique aliter petierit, gesserit vitio creatum videri, & correctiones ejus G in Acta non mitti.

In senibus deponantis quique majores annis LX. sirempse legem esse.

Utique Censores M. Fabius, Pomponius Atticus, alter ambove, de doctrina deque moribus petitorum cognoscant, statuant, judicent. Quos hisce admiserint, probos esse: quos rejecerint, repulsos, & reiculos.

Si quis è libris bonis, fidisque correperit, laudi semper esse. Si quis è conjecturis, noxæ, nisi eæ claræ, liquidæ, certæ sint.

Qualitercumque divinationibus usus, in eo leges veteres, & edicta de Mathematicis valere: Porcias, Fabias, Sempronias leges non valere.

Itemque quoniam duplex morbus Correctores pleros teneat, Litigium & Prurigo: utrique rei Senatum prospectum, præcautumque velle.

De Litigatoribus, uti quicumque post hunc diem cum altero velitari, prælari, verbis, scriptisve ausus fuerit: eum, eosve in ludi gladium damnari, uti proximo munere colligati inter se, pugnent sine missione. H

De Pruriginosis, quos manum, stylumque abstinere à nullo loco audiant, sano sive insano: uti Cornelius Celsus Ædilis dispiciat, qui ex iis sanari possint, quique non possint.

Qui posse videbuntur, eos deponi in templo Æsculapii, quod in insula est: ibique ellebori bibere quantum satis erit. Qui non possint, eos in exilium ad Cimmerios deportari, ubi lucem non videant, & libros non legant.

Si qui ambiguæ valetudinis erit: eum ad tempus relegari in Atlantidem insulam, ubi memorantur somnia non videri.

Quoniamque multi ex hoc ordine pulsatos, acceptosque indignè se à Correctoribus querantur; placere universis conscriptis eam injuriam, contumeliamve impunem non esse, in vivis, mortuisque.

In vivis placere, uti L. Cassius Prætor de causa eorum cognoscat, quousque noxæ ejus compererit; eos melle, & sesamo oblitos, diem unum destitui ad calidum Solem, stilis vesparum, & muscarum.

In

In mortuis uti Menippus Philosophus, qui viam novit, ad
A inferos proficiscatur, & cum Deaco de pœnis eorum agat.

Hæc ita censuerunt. Si quis huic scilicet intercessisset, placere auctoritatem perscribi, de quea re ad senatum, populumque referri.

Gulielmi Budæi parilis lex è libris de Asse.

Qui discendi cupidi sunt, juratissimi cujusque scriptoris majestatem comiter conservanto. Quod secus (ut sunt humana) dictum in eorum cujusque libros irrepserit, obrepserit, sefellerit: Qui de eo dicto indagandæ veritatis ergo addubitet, addubitaverit, quæstionem referat, retulerit.

Quod eorum ab unoquoque absque dolo malo, littore animi, factum fit:

Ejus rei mulcta ne fit.

Nec bonorum offensio, quod est instar ultimi suppliciì.

Hæc Lipsius ad calcem Satyræ Menippeæ.

* CRITICI DIES. QUINAM.

Vocantur à medicis Decretorii, sive Judiciales, suntque 7. 14. 20. 27. quod in iis judicium de morbis ferri possit, quodque illis fere diebus morborum initia: Lunæ sydus à signis tribus, atque sex coitu excepto videat. Ad eum modum habent alios dies Judicativos, videlicet 4. 11. 17. 24. Quorum
B meminit Hippocrates in Aphorismis suis.

☞ *Quære sub loco de Dierum differentiis, Ivvè generibus.*

Crocodilus.

☞ *Quære sub titulo Piscium.*

Crudelitas. Sævitia.

IRÆ, ET VINDICTÆ IMMODERATIO.

DEFINITIO, ET ACCEPTIO VOCIS.

IMpotentia iræ animum à suo deiicit statu. Quasi vehementius intendatur, & cupiditatem internam in opus producat, Sævitiæ, & Crudelitatis nomen meretur. Quæ quidem vox, ut & Immanitatis, & Feritatis, in genere omnem ἀηφορίαν comprehendit: hoc est, omnia vitia, qualiacumque sint, quæ in hominem, ad belluinam naturam degenerantem, cadunt. Sic crudele est, humanis carnibus vesci (& hæc
C fortasse propriè Crudelitas dici debet, ex vi Etymi) crudele item, Vetito libidinis genere uti (quorum utrumque ad Intemperantiam pertinet) Hospites mactare (quod Inhospitalitatis est) Inimicos diris suppliciis afficere (quod Immoderatæ vindictæ est) Summum jus, non admissa ulla æquitate, in puniendis sontibus persequi (quod Injustitiæ est) in omnibus denique vitiis Immanitatis exempla sese offerunt, magnitudine tantùm ab aliis distincta, in quibus si insignis aliqua lætio, corporis præsertim conspiciatur, Crudelitas proprie appellari consuevit, ut quamvis sæpè Crudelitas pro Immanitate, & Feritate usurpetur, ut plurimùm tamen Immanitas, & Feritas magis generalia esse videantur nomina, quam Crudelitas. Quando igitur Crudelitas per omne genus vitiorum dispersa est, etiam in hac iræ immoderatione locum habebit: eaque propter Crudeles ad ἀηφόβητος species possunt referri, quatenus scilicet ulciscendo belluarum in modum sæviunt, nec humanæ vindictæ termino se contineri patiuntur. Volunt Grammatici, Crudelem deduci à cruore, quem sitit, vel à morum crudelitate, sive asperitate.

D ☞ *Huc referri possunt Injustitiæ correctrices, in puniendo excessu, plerique Exempla.*

SÆVITIÆ, CRUDELITATIS ACQUISITIO.

HUC

MAGISTRI, INCENTORES, Suasores

QUI, QUALES.

☞ *Confer cum Titulo, Magistri Inimicitiæ. Illic odii, hic Iræ habetur ratio.*

Reges.

Caligula servorum dominatum instituit, lege lata, ut iis accusare dominos liceret, si quod eorum peccatum vidissent. Unde ingens calamitas orbem terrarum omnem oppressit, cùm servi maximis pœnis dominos subiicerent. Quilibet enim cruciatus ab hero suo illatus ulcisci voluit. *Suetonius.*

E Changius, primus Tartarorum rex, sancivit, cum nulla usquam gente pacem ineundam, quæ parere nollet: neque unquam cessandum, quousque aut rerum potiantur, aut ad interitum redigantur. In fatis eorum esse, annos octoginta pugnare oportere, & regnare duodeviginti, mox ab alia gente victum iri, & qui evaserint, legem illam suscepturos, quam victores planè servarint. *Bonfin. l. 8. Dec. 2.*

HÆRETICORUM PRÆDICANTES.

Concionatores Thaborithæ conciones prorsus sanguinarias de ultione habuere, auctore quodam Venceslao caupone, qui plura cæteris de lege nova, veterique memoriter narrare, & ad id, quod Thaboritis placebat, detorquere solebat. Is jam in hoc ipsorum præsenti seculo calumniationem instare adsevebat, in quam Christus occultè sicut fur venturus esset, ad regnum suum hic in terris reparandum, instaurandumque, pro quo oramus quotidie: Adveniat regnum tuum: & in hoc adventu, inquit, non erit tempus gratiæ, sed ultionis, & retributionis, & igne, & gladio, adversus legis Christi adversarios, quos necesse est perire septem illis plagis novissimis in Apocalysi commemoratis; Thaboritas autem esse Angelos ad illas exequendas à Deo missos. Maledictus itaque ille, qui manus suas in sanguine peccatoris non laverit, illasque cæde impiorum non sanctificaverit, sive ille sacerdos, sive unus è plebe fuerit. Sic rursus ad desolandas, evertendasque villas, pagos, vicos, civitates, suos animabat: scriptum esse inquiens, quod hoc ipso vindictæ tempore, qui in Judæa sunt, fugere debeant ad montes: ad quos tandem? nisi ad eos, quibus fideles Thaboritæ habitant, securi à plagis, quæ manent illos, qui vicos, castellaque, & urbes extrà quinque duntaxat, Pelesinam scilicet, Launam, Slanam, Glatoviam, & Zarium, non deserverint, destruxerint, combusserint: quando in illas ampliùs nec Dominus, nec Deus, aut quisquam alius ingredietur, idque brevi futurum esse dicebat, ipsa scriptura attestante. Et ad huc pusillum, & non erit peccator: quæres locum ejus, & non invenies. Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Dubr. l. 25.*

☞ *Vide Locum de Hæreticis, ubi de eorumdem Crudelitate.*

Mathematici. G

Sub Nerone stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò putatur per continuas noctes oriri cœperat. Anxius care Nero, ut ex Babilo astrologo didicit, solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque à semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit. *Suet. in Nerone.*

Patres.

Pyrrhum filii adhuc puteri rogarunt: Cuinam relicturus regnum esset? Quibus respondit Pyrrhus: Qui gladium habebit acutissimum. *Plut. in Apoph.*

Avi.

Procles Corcyreorum tyrannus, nepotibus auctor fuit vindicandæ in Patre Periandro Corinthio cædis maternæ. *Herodotus.*

Consiliarii.

Nero Romanorum Imperat. natura crudelis, Consiliariorum insuper suorum instinctu multa contra dignitatem fecit, cùm crebro ab illis audiret: Tu hæc pateris? tu hos times, ignoras, te Cæsarem esse? teque illorum potestatem habere, non illos tui? *Xiphil. in Nerone.* H

Amici.

Amici Aman furorem ejus contra Mardochæum magis accenderunt, Jube, inquiunt, excelsam parari trabem. *Esth. 5.*

Concubinæ, Scorta.

Nitetis, filia Aptiis regis Ægyptiorum, quem Amasis interfecerat, cùm ab Amasi ad Cambysem esset missa (nam Cambyses Persarum rex filiam Amasis in uxorem petierat, quam tamen Amasis ei dare nolebat, quia pellicis loco eam habiturus videbatur) tanquam filia Amasis, Cambysi dolum indicavit, & eundem ad bellum Ægyptio inferendum, & paternas umbras ulciscendum impulit. *Herod. l. 3.*

Thais meretrix auctor fuit Alexandro Magno, ut Persepolim regiam Persarum incenderet. *Plut. in Alex.*

Regem Turcarum Mahometem II. Constantinopolis everforem, in Græcorum cædem concitavit advena quidam, cujus Filiam ardentissimo amore prosequebatur rex: & congressus

A gressus cum ea, amorem amens propinquis mulieris, quæcunque petiissent, gratificabatur. Hujus patri obtemperans, Græcos mactari jussit. *Chalcocondylas l. 8.*

QUOMODO. PUTA

Veneficio.

Valasca, Libussæ Boemæ famula, virgines à virorum amore per veneficium sic avertit, ut conjuratione inita, suos quæque maritos, patres, fratres, filios una nocte interfecerint: mox arce Vicegradensi obsessa, Primislai regis exercitum ad internecionem ferè cęciderint. *Æneas Sylvius in hist. Boe. & Egnat. l. 3. c. 3.*

Obtrectando, Calumniando.

Hungarorum rex Stephanus, Colomanni filius, bello tam à Græcis, quàm à Polonis impendente, cum Uladislao Boemorum rege ad fines Hungariæ, ad fluvium Olsena, colloquium pacis causa instituit. Placuit seorsum à multitudine inermes colloqui. Hungarus quidam exul apud Boemos, Soltha, sive Solthus nomine, cùm utrisque in castris liberè versaretur, utrumque Regem mutua suspicione implevit, quasi per simulationem colloquii alter alterum circumvenire cogitaret. Itaque in armis uterque suos esse mandavit. Mox Uladi-
B slao insusurrat, equites Hungaros propius accedere, & sagittis Boemos lacessere. Omisso igitur colloquio, Uladislaus suos ad pugnam progredi imperat. Hungaris autem strenuè repugnantibus Sobieslaus Uladislai patruelis, è faltu ex insidiis erumpit, & Hungaros castris exuit. Comprehensus inter alios Solthus vinctus ad regem Strigonium perducitur. Eum Rex equis in quatuor partes dilacerandum curavit: cœptumque in fœdus cum Uladislao per legatos confecit, sorore sua Sobieslao fratri Uladislai desponsata. *Dub. l. 11. & Bonfin.*

Suadendo, Consulendo.

Magna affecti clade Athenienses Ægos fl. à Lysandro Lacedæmonio, capti ter mille, & inter eos Philocles prætor, qui populum induxerat pridem ad scisendum, ut captis bello præcideretur dexter pollex, quo lanceam ferre non possent, remigare possent. Lysander postquam Athenienses captivi de consilii sententia addicti ultimo supplicio sunt, Philoclem prætorem appellavit, rogavitque. Quid meritum censeat se, qui sententiæ de Græcis tam atrocis fuisset civibus auctor? ille verò nihil calamitate infractus: Noli obiicere, inquit, crimi-
C na, quorum judex est nemo: sed ea victor age, quæ cras passurus es victus. Totus inde, ac splendida amictus chlamyde primus ad cervicem præbendam, ut tradit Theophrastus, cives suos anteessit. *Plut. in Lysand.*

THEODORUS Chius, Ptolemæi regis in arte Rhetorica præceptor, in consilium adscitus, cùm deliberaretur, utrùm Pompejus ab Ægypto repellendus esset, an admittendus: censuit receptum occidendum, addens hoc dictum νεκρὸς ὀ δάκνων, id est, mortuos non mordere. *Plut. in vita Pomp.*

Kegenes quondam Pazinacarum dux, post verò ab Imp. Monomacho patricius, & amicus factus, cùm Pazinachas suos descisicentes Imp. tandem subegisset, ei suasit, ut ad unum omnes occideret, & adagium ferebat: Anguem hyeme, esse necandum, cùm non potest caudam movere, ne Solis calore refectus, molestiam, laboremque per æstum creet. *Ced.*

Conradinum Suevum regnum Neapolitanus repetentem, Carolus Andegavensis comes, regni invasor, acie victum captumque per annum integrum in carcere habuit. Inde Neapoli convocatis regni syndicis, quid de Conradino ageret, deliberabat. Galliæ nobiles, in primis Robertus Flandriæ co-
D mes gener Caroli; generosum adolescentem dimittendum, & nova affinitate devinciendum judicabant: maximè cùm Carolus ipse cum D. Ludovico rege socero suo à Saracenis ad Damiatam Ægypti captus, & regio more tractatus fuisset, atque dimissus. Clemens IV. Pontifex literis à Carolo consultus, rescripsit: De Conradino supplicium sumi non nego. Quo verbo, tanquam apertè mandante, Carolus usus est, teste Angelo Petrusino *in l. general. C. de secund. nupt.* uti tantundem esse ait: Non nego, quantum concedo. Addidit hæc verba: Vita Conradini, mors Caroli, mors Conradini, vita Caroli. Sed & sententiam D. Augustini in Decretorum codice positam, quòd victor est obligatus, ut sit misericors erga victum, præsertim ubi non est suspicio pacem inde turbari, perperam interpretatus est Hugolinus Commentator, Præsertim, hoc est, Solummodò: ac si Augustinus diceret: Non debere ignosci hostibus, nisi iis, à quibus nulla suspicio sit insidiarum. Qua interpretatione fubnixus Carolus, suffragiis quoque Neapolitanorum, Campanorum, & Salernitanorum adstipulantibus, contrà Conradinum, ejusque socios Neapoli 26. Octob. anno Christi M.CC.LXIIX. capitalem sententiam E protulit. *Collen. l. 4.*

FRANCISCUS Turrianus, Mediolani à fratre Napo, ejus urbis Principe contra Othonianos patricios Mediolano ejectos exercitum ducente, ad res urbanas tutandas relictus, cùm victoriæ nuncium accepisset, rogatus sententiam de captivis rescripsit: Cuncta simul Hydræ capita ense recidenda, ne renata venenum rursus effundant: ergo Napus ad Galatarum oppidum duo, & viginti insignes patricios securi percussit, cervicibus ad plaustri temonem appositis, atque ibi repetito sæpè ictu sævissimè detruncatis. Quod facinus nobilissimos quosque adversùs Turrianos concitavit, adeò ut non toto planè exacto triennii spacio, parem omnino cladem Turrianis rependerint. *Jov. in vita Othon. Vicecom.*

Permittendo, Connivendo.

GALBA Imperator electus, populo indigens non prohibuit, quicunque ex Neronianis oblatus est, quin obtruncaretur. Ac Spicilium gladiatorem, statuis Neronis per urbem raptis subiicientes, in foro peremere. Aponium ex delatoribus unum prostraverunt, & per corpus ejus onusta lapidibus plaustra egere: alios discerpsere, nonnullos sanè innoxios. F Unde Mauriscus, qui in optimatibus & erat, & numerabatur, dixit in senatu, metuere se, ne citò essent Neronem desideraturi. *Plut. in Galba.*

Pecuniam subministrando.

Judæi per Bavariam arma, pecuniasque subministravere Boemis Hussitis, ut infestarent Catholicos, & Christiani mutuis se viribus atterent. Sed Fridericus dux Bavariæ, re comperta, Judæos omnes captos misit in carcerem, rebusque exutos, docuit alienis malis non gaudere, nec insultare Christianis. *Crantz. l. 10. Vandaliæ c. 33.*

DISCIPULI. QUI. V. G.

Reges.

GNOSTICI hæretici in conventum Burdegalensem Maximo tyranno, ad quem provocaverant, deducti, Martini Turonensis Episcopi consilio Ecclesiis ut pellerentur tantùm suasum fuit. Sed posteà Maximus à mitioribus consiliis revocatus, Priscillianum duobus judiciis auditum, convictumque G maleficii, sociosque ejus capitis damnari oportere pronunciavit. *Sigonius l. 9. Imp. occid.*

Nepotes.

TISO Novellus comes campi Samperii, Patavinus, suasu Marsilii Carrariensis avunculi, Cunisam matrem in adulterio deprehensam interficit, nec multò post dysenteria periit, cum totius civitatis luctu, ætate florentissimus. *Ber. Scard. lib. 3. classe 23. Historiæ Patavinæ.*

QUOMODO. ADDUCTI.

Educatione.

Apud Scythas, qui cum Ægyptiis de generis vetustate diù certarunt, probro dabatur hominem non occidisse: quare usque à pueris humana cæde gaudentes, captivos immolabant, sanguinemque ejus potabant, quem primum cepissent; vescebantur carnibus demortuorum parentum. *Polyd. l. 9. c. 7. de rerum invent.*

In Hybernia, quæ in penitissimo Oceano extra insula sita est, cultu indomito, & fero, pueri ita aliti, educatique sunt, ut inter arma, & cædes versentur assiduè, matresque natura H immites, ingenio barbaro, primos cibos edito infanti gladio admovere feruntur. *Alex. l. 2. c. 25.*

Jurejurando.

Traditum memoriæ est, Hamilcarem Bareham sacrificantem eo tempore, quo in Hispaniam profectionem parabat, Annibalem filium novem annorum admodùm puerum jurejurando obstrinxisse, cùm primùm per ætatem liceret, populi Romani fore inimicum. Cujus quidem rei memoria, & acerba recordatio, veluti quædam paterni odii imago, ante oculos juvenis versabatur, animumque urgebat, ut ea semper moliretur, quæ ad evertendum Romanum imperium pertinerent. Præterea factio Barchina frequentibus stimulis eum incitare non desistebat, ut armis, & imperio opes quàm maximas compararet. Itaque post Asdrubalis mortem, ingenti militum consensu, imperator declaratus, annos natus sex, & viginti belli contra Romanos excitandi occasionem captavit, à Sagunto socia urbe Rom. initium sumens. *Plut. in Annibale.*

Apud

Apud Malabares Indos est genus devotionis, quo inter se aliis interdum fœdere conjunguntur, quo se execratione devinciunt, si uno per injuriam occiso, reliqui omnes non in illo vindicando mortem appetierint. Hac ratione fit, ut non modò cùm reges interimuntur, sed cùm socii vita privantur, ii, qui superstites sunt, humanitatis obliti, in gladios irruant, per omnes flammas currant, nullisque armatorum præsidiis exterreri possint, quò minùs necem iis, qui socios interfecerunt, afferre conentur usque eò dum ipsis variis cædibus absumantur. *Osorius l.2. Rerum Emm.*

Obsequio.

Alexander Magnus sub regni sui initia Thebas Bœotiæ expugnavit. Urbs capta, direptaque, & diruta: quòd expectaret eo exemplo perculsos, & trepidantes quietem acturos Græcos. Colore tamen usus alioquin, hoc est non potuisse id se sociorum querimoniis denegare: quippe criminabantur eos Phocenses, & Platæenses. Sacerdotibus igitur, Macedonumque hospitibus omnibus exceptis, & Pindari stirpe, iisque, qui defectionem sciscentibus repugnaverant, cæteros ad triginta millia sub corona vendidit, occubuerant supra sex milla. *Plut. in Alex.*

Caii Marii filius Consul cum Cneo Carbone per vim factus una significatione literarum Damasippum Prætorem satellitem suum jussit quicquid erat in urbe patriciorum interficere. Diligens satelles justa domini sedulò executus est: nam specie consulendi contracto Senatu, patricios omnes interemit.

Præmio.

Apud Scythas semel quotannis singuli regionum principes miscent vinum crateri: de quo Scythæ omnes hostium homicidæ bibunt: nemo gustat, qui nihil præclari operis ediderit: sed fine honore seorsum sedet. Quæ res apud eos maximæ est ignominiæ. Qui verò complures cædes fecerunt, hi duobus pariter, quos habent, calicibus potant. *Herod.l.4.*

IRÆ IMMODICÆ CRUDELITATIS CONSERVATIO. RESPECTU MOTUS

INTERNI, SECUNDUM TEMPUS. IRA DIU SERVATA.

Ferdinandus Neapolitanorum rex, à puero conceptum odium servavit ad senectutem. Itaque multa indignè, præterque regiam dignitatem etiam in homines innocentissimos pattavit. *Pont.l.1.c.8. de Magnanimitate.*

MODUM. NOLLE

Ignoscere.

☞ *Vide infrà. Crudeles erga supplices.*

Justinianus Rhinotmetus ab Leontio Constantinopoli pulsus, Chagani Hunni insidias veritus, ad Trepellium Bulgarorum principem fugiebat. Orta tempestate, cùm de salute sua omnes desperassent, Myaces Justinianum, cujus erat domesticus, ita compellat: Cernis, domine, mortem nobis impendere. Vove itaque Deo, te, si Deus tibi restituat imperium, inimicorũ injurias non ulturum. Respondit Justinianus: Hic me Deus submergat, si ulli inimicorum parsurus sum. Et repentè tempestas resedit. Bulgarorum principi inter alia dona & filiam pollicitus, ingentibus copiis subnixus, Byzantium aggressus paucis stipatus per aquæ ductum urbem occupavit, & inimicos omni genere crudelitatis, populo applaudente, & Davidicum versum accinentes, sustulit. *Paulus Diac.l.20.rer.Rom. Cedrenus, Sigebertus, Zonaras.*

Reconciliari, pacem admittere.

☞ *Tit. Repudiare pacem, exempla sub Stultitiæ loco attulimus, illic rationis, hìc iræ impotentia consideratur.*

Nahas rex Ammonitarum, Jabem urbem Galaaditarum obsidebat, neque pacem facere volebat alia conditione, quàm ut dexteros eis oculos effoderet, eoque dedecore omnes Israelitas afficeret. At à Saule tandem rege Israelitarum profligatus fuit. 1. *Regum* 11.

Quàm fœdus, quàm imbellis est Achilles ille Homericus, quàm non dignus ea, quam illi circumponit Homerus persona: qui post Thebas Ciliciæ, post Cyprum, & alias permultas insignes victorias, victus, prostratusque exigua injuria, attollere nullo potest pacto: non legatione amicissimorum regum, non precibus, non muneribus, non præsenti gentis suæ periculo? Quid aliud testatur, quàm se ab impotentia animi victum, fractumque resumere in manus arma non valere? *Ludovicus Vives de pacificatione.*

Pœni magna clade à Dionysio tyranno ad Cabala in Sicilia affecti, amisso etiam rege Magone, de pacisendis induciis legatos miserunt. Dionysius unam hanc redemptionem eis contingere posse respondebat, si relictis Siciliæ urbibus, inde discederent, & omnem bello hactenus insumptam pecuniam sibi restituerent. Carthaginenses simulantes placere sibi pactum dicebant, penes se non esse tradendarum urbium potestatem, sed ut principes ea de re alloquerentur, petere se paucorum dierum inducias. Dionysius id concessit. Carthaginenses intereà Magoni regi filium surrogarunt: qui induciarum tempus aciem instruendo, ac milites exercendo, consumpsit. Eo tempore exacto, commissaque acri pugna juxta fanum, Saturnium dictum, Carthaginenses cæsis quatuordecim millibus hostium. Dionysium pacem facere coegere, ut sua utrinque servarent, quibus anteà quisque præfuisset. Carthaginensibus Selinunciorum urbs cùm agro cederet: nec non Arcagantiæ terræ pars ad fluvium usque Alycum: Dionysius mille talenta Carthaginensibus solveret. *Diod.l.15.*

Plutarchus Romæ arbitrium inter duos fratres susceperat, quorum Alter Philosophus erat titulo, & nomine tenus. Quem cùm admovisset, ageret cum fratre, & idiota ut Philosophus: Hoc, inquit, ut ad idiotam vere dixisti. Apud me verò non habet multùm momenti, neque magnipendo, ex iisdem genitum esse genitalibus. Tu quidem, inquit Plutarchus, non dissimulas, ne ex genitalibus quidem genitum esse, quicquam apud te ponderis habere, aut valere. *Plut. de pietate erga fratres.*

M. Attilius Regulus, rebus in Africa benè gestis, etsi certò sciebat brevi futurum, ut aut Carthago caperetur, aut jugum coacta acciperet: veritus tamen, ne novus Consul, qui propter diem successurus dicebatur, famam rerum à se magnificè gestarum totam ad se traheret, ultrò cœpit de pace cum hostibus agere. Carthaginenses, qui solvendi belli cupiditate incredibili tenebantur, confestim principes civitatis in castra ad consulem mittunt, qui rem eum eo componerent. Sed tantùm abfuit, ut ob iniqua Reguli postulata quicquam conficiri potuerit, ut legati ne audire quidem æquo animo quiverint conditiones, quæ ab ipso proponebantur. Venere interim auxilia Carthaginensibus è Græcia, Xantippi Lacedæmonii ductu. Ad quem ubi rerum summa delata est, Romani victi, consul ipse captus est, & Carthaginem ductus, cujus viri casus utile exemplum esse potuit mortalibus, ne secundis rebus nimiùm elati, humanam imbecillitatem contemnerent. Regulus, qui tam superbas leges nuper hostibus imponebat, ut nihil victis præter vitam relinqueret, paucis horis alienæ potestatis factus, ne vitam quidem in tuto habuit. *Sab.l.9.c.4.*

Heraclius Imperator priusquam exercitum contra Persas educeret, oratores ad Cosroen Persarum regem misit, ut à vastatione urbium, & cædẽ Romanorum cesseret. Cosroes autem rex legatos contempsit, eosque cum contumelia abire jussit. Heraclius à Barbaro hoste pacem petit sub conditionibus annui vectigalis pendendi. Cosroes se nunquam quieturum cum Romanis respondit, nisi abnegata Jesu Nazareni crucifixi religione: Mittam, hoc est, Solem, adorarent. Imperator desperata pace, conscriptis undique novis legionibus, (veteres enim interciderant) tribus præliis Cosroen vita, & imperio exuit, cum Siroe ejus filio pace firmata. *Æneas Sylvius c.31. Asiæ.*

Nicephorus Imp. in Bulgariam profectus, victo Crumo gentis principe, corpora Bulgarorum inhumata relinquens, solis spoliis legendis intentus fuit: Crumi conclavia, ut jam sua, clausstris, & sigillis muniit: & Christianis manubias contrectare ausis, aures, aliaque membra abscidit: aulam quoque Crumi incendit. Interim Crumus submissè admodùm victum se esse fatebatur: rogabatque, ut acceptis, quæ vellet, pacatus Bulgaria excederet. Sed Nicephorus pacem, cujus erat impatiens, non dedit. Itaque Crumus irritatus, aditus, exitusque suæ ditionis ligneis munitionibus occluit. Et Nicephorus clade

dem præsagiens, suis dixit: Nemo nostrum perniciem evitabit, nesi volucres quidem fiamus. Bid uo post Barbarus populo collecto, tentorium Nicephori aggressus est. Ibi Nicephorus miserabiliter obtruncatus est, omnesque cùm eo duces, & infinita milium multitudo: omnibusque impedimentis potiti sunt Bulgari. *Paulus Diaconus, Zonaras, Cedrenus.*

Sub Ludovici III. Rom. Imp. imperio, cùm Berengarius Italiæ regnum obtineret, Hungari in Italiam effusi, & hostili numero impares, ac Berengario rege ad extrema ferè, ut tradit Leoprandus historicus, redacti sunt. Quare per internuncios aliquoties pacem, salvumque reditum in patriam frustrà petierunt. Ergo desperatione animati, tripartito insidias obducunt. Romani dum internuncios præstolantur, cunctatione defatigati magna ex parte desilientes corpora curabant. Hungari veteranorum validissima acie, trajecto flumine Brenta eos adoriuntur, tanta celeritate, ut multis tentantibus cibum in media gula transfigerent. Atque ita ingenti hostium cæde facta, Italis imperium, gloriam, ocium, & fortunas abstulerunt. *Bonfin.l.20.Dec.1.*

Colomannus Hungariæ rex, comparato maximo exercitu in Rutenos contenderat. Regina Lanca profusis lacrymis supplex ad pedes hostis procidit, veniam, ac pacem orans. At eam rex præter dignitatem regiam calce repulit: haud fas esse referens, majestatem regis femineis ululatibus pollui. Adventarunt insuper Chunorum legati, qui pro Rutenis veniam, ac pacem orabant. Nullis tamen precibus rex exorari potuit. Intereà Ruteni Mircodẽm Chunorum ducem cum auxiliaribus copiis accivere. Cùmque legati desperata pace rediissent, secunda vigilia noctis incautum hostem adorti, ad internecionem ferè cecidere. Qua nullam majorem cladem se passos Hungari testantur. *Bonfin.l.5.Dec.2.*

Hadrianus IV. Papa, magna regni parte Gulielmum Siculum exuerat, cùm in belli societatem Constantinopolitanum Imperatorem pellexisset (Platina, & Nauclerus testantur, quod spontè se obtulerit, numeratis Pontifici quinquies mille auri libris, ea lege, ut ipsi, rebus feliciter gestis, tres in Apulia civitates maritimæ cederent) Siculus Pontifici per legatos supplex factus, pacem petebat: sed ipse omnes pacis conditiones, Cardinalibus suadentibus, respuebat. Siculus itaque cùm armis sibi dimicandum esse videret, educto milite, & Emmanuelis Constantinopolitani Imperatoris, & Romani Pontificis copias fudit, & capto Pontifice utriusque regni Siciliæ, Apuliæque titulos extorsit. *Nauclerus lib.3. generatione 29.*

Arctissima obsidione Christiani Damiatam Ægyptii premebant, duce Joanne Brenno rege Hierosolymorum. Coradinus Damasci, & Hierosolymorum Sultanus per oratores conditiones sibi, Ægyptioque pacis petebat: pollicebatur in primis se sacrosanctam Crucem, & quicquid de Christianis in Syria, Phœnicæque ipse, paterve, aut Saladinus cepisset, redditurum. Franci, Angli, Itali leges comprobabant. Pelagius Apostolicus legatus hanc pacem aspernabatur: bellum pro religione adversùs impios, Mahumeticamque superstitionem suscepturn, cujus sedes, arxque sit Ægyptus, eam perdomandam, sedandamque Legatus auctoritate, ac sanctitate nominis obtinuit, ut Damasceni oratores pace infecta dimitterentur. Non multò post capta quidem Damiata est, sed Latini dum Cayrum obsidere parant, intra Nili aggeres ab hoste intercisos interclusi, turpissimam pacem accipere coacti, & Damiatam reddere. Serò tunc pœnitebat duces, se potiùs voluntati legati paruisse hominis togati, quàm suis consiliis obtemperasse, qui rerum militarium peritissimi, vicissitudines rerum experiendo didicerant. Pelagius malè audire cœpit: & fuit qui scribant, cum, quòd gente Hispanus esset, lectis quibusdam (ut rebatur) fatalibus, qui dicerent, finem Mahumetis nominis appetere ex Hispania venturum, qui gloriam confecti sacri belli ferret, intercessisse, ne pax Barbaris tanta exacta mercede daretur. *Æmil.l.6.*

Ludovicus Comes Flandrorum Gandavensibus rebellibus ignoscere nolebat, nisi pedibus nudis abjectis indumentis aperto capite, extrà urbem, fune in collum accepto ad petendam veniam venirent. Hoc responso commoti cives, armis sumptis potiùs in acie cadere, quàm superbo Principi ludibrio esse tolerabiliùs judicantes, adversùs Comitem agmen direxerunt, & quinque millibus suorum, triginta hostium millia fuderunt. *Aimoinus de Gestis Francorum l.4. c. 71. 72.*

Genuenses cum Ludovico rege Hungariæ, Fr. Carrariensi Principe, & Aquilejensi antistite fœdere inito, Clodia capta, Venetam urbem arctè obsidebant. De pace per legatos agi cœptum. Quibus licet mandatum esset, quantumvis iniquis conditionibus pacem non respuerent: tamen tot, & tanta undique petebantur, ut si quadruplo majores fuissent Venetorum opes, quàm ea tempestate erant, vix hostium avaritiam explere potuissent. Hostibus omnia Veneto adimentibus, & ut planè apparebat, nil victo præter vitam relicturis, quam muneris etiam loco concessam videri volebant, dolore, quem ignominia fecerat, in iram verso: decreto Patrum jubentur legati ea actione abstinere, atque ita infecta re domum confestim redire. Ergo mutata fortuna, Genuenses Clodiæ obsessi decimo post mense turpissimam deditionem facere coacti sunt. *Sab.l.6.Dec.2.*

Veneti bello tertio Ligustico victis Genuensibus ad Catalitanum Sardiniæ sinum cùm pacem dare nollent. Genuenses Joanni Viccomiti Mediolanensium sese dedidere, & reparatis viribus, ad Sapientiam insulam Peloponneso propinquam ingenti clade Venetos affecere, ut quam dare cum gloria noluerunt, magnò priùs accepto dedecore pacem susceperint. *Sab.l.3.Dec.2.*

Florentinorum justitiæ Vexillifer sive Dictator Petrus Soderinus, cùm urbs eorum anno 1512. mense Augusto, ab Julio II. Papa. Maximiano I. Rom. Imperatori, & Aragoniæ rege Ferdinando, qui Medíceos Florentiam reducere nitebantur, bello premeretur, & jam Pratum oppidum ab Hispanis, quibus Raymundus Cardona regni Neapolitani protex præerat, obsideretur, pacem, quam protex receptis Mediceis, & subministrato commeatu offerebat, importunè impedivit. Ille enim sive contra naturæ suæ insitum metum, hostes de victoriæ spe dejectos, per se discessuros persuasus: sive Mediceos quovis modo Florentiam redirent metuens: sive fatis eum ad summet exitium, patriæque suæ calamitatem procurandam ducentibus legatorum profectionem artificiosè protrahens, ita egit, ut quo die ut abirent, constitutum erat, eo die non proficiscerentur. Protex igitur commeatus penuria coactus, & jam de legatorum adventu incertus, sequenti nocte Prati expugnationem adoritur. Quæ cùm feliciter successisset, victricia arma admovit, & restitutis tandem in pristinum dignitatis locum Mediceis, Florentinorum libertatem oppressit. *Guic.l.11.*

EXTERNI, VINDICTÆ SCILICET. VINDICTA DILATA IN

Tempus longum. Sera.

Nero Imp. quòd puerà Seneca præceptore verbera tulisset, eum moti coegit: data tamen mortis eligendæ copia, & res domesticas componendi spacio. Itaque in aquæ calidæ solium descendens, incisis venis, sumpto insuper veneno, expiravit. *Suet.*

Clotharius (Childebertum habet Chronicon Francorum) Gallorum rex, Clodoveo patre ortus, cùm invidorum opera, Gualterium Ivetoti dominum, regii cubiculi honore insignem expulisset, & is decennium in Oriente adversùs Christi hostes pugnando consumpsisset: indè posteà reversus, cùm Clothario Vigiliis scriptas in commendationem suam litteras in templo reddidisset, ea die, qua Christi redemptoris mortem Ecclesia celebrat, arbitratus & loci, & temporis ratione clementiorem se regem habiturum: rex eum manu sua crudeliter occidit. Quamobrem acerbè à Pontifice reprehensus, Gualterii hæredes, ac posteros, item Ivetoti urbem, atque agrum ab omni Gallici regni imperio, ac servitute liberavit, anno 536. Itaque ab eo tempore, ejus loci potiti homines, regio nomine insignes facti sunt. Neque vero Ivetoti exiguitas obstitit, quamquam undique eum Gallici regni loca ambirent, & à rege Gallico defenderetur, quin subjectionis jus nullum agnosceret. *Fulg.l.9.c.3.*

Majoris Ferdinandi F. Fridericus, in locum Ferdinandi Neapoli regis defuncti suffectus, dum reginas inviseret, unam, quæ patris, alteram, quæ fratris filii sui uxor fuerat: Bissinianorum Principis, qui unà cum plerisque in procubiculo regem opperiebatur, Famulus gladio districto herum percussit, geminatis ter ictibus interficere illum cupiens. Comprehensus, quæstione habita dixit, id efficere, quod fecisset, se in animo annos tredecim habuisse, propterea quòd Princeps suam olim sororem violavisset: anteà patrandi facinoris occasionem idoneam sibi nullam datam: tunc rem ad exitum perducere, vel certo vitæ suæ periculo voluisse. *Bembus l.2.Venetæ histor.*

Galeacius Sfortia, Mediolanensis, cùm à Cola, sive Nicolao

colao Montano pædagogo puer vapulasset, postquam ad im-
A perium evectus est, totidem plagas nudis natibus ei rependi, se inspectante, jussit. Quæ injuria effecit, ut Cola tres ex suis discipulis, præsertim verò Hieronymum Olgiatum, ad tyranni cædem inflammarit. *Jovius in Galeacii elogio.*

Occasionem opportunam.

Cùm Ricardus Angliæ rex, in expugnatione Ptolemaidis Lupoldi Austriati signa dejecta pedibus conculcasset, & Cypri dominum, cui Lupoldi matertera uxor erat, capitali supplicio affecisset, dum ad suos redire parat, naufragium passus, cum paucissimis evasit, & sub servi habitu Viennam venit. Sed proditus, à Lupoldo in vincula conjectus, & post ad Imperatorem Henricum VI. missus est, Angli pecunia, quam pro sui redemptione erogarat, fulcitus imperator, Tancredo Siculo è rebus humanis exempto, copias in Apuliam misit, multas civitates acquisivit. *Nauclerus Urspergensis.*

Dejecto Venceslao Imperatore, Electores principes ad conventum Francofordiæ convenerant. Fridericus dux Brunsuicensis eò quoque venerat. Erant, qui illum dignum imperio faterentur. Sed Archiepiscopus Moguntinus ei adversabatur, fortè, quòd meminisset ex annalibus, ante centum annos ab
B Alberto duce Brunsuicense Archiepiscopum Moguntinum captum, & magno ære multatum fuisse, quod pro eo Richardus Cornubiæ in Anglia comes, qui ambiebat regnum Romanorum, dissolverat. Ergo Rupertus Palatinus comes rex eligitur. Fridericus cum duce Saxoniæ Rudolpho, & Sigismundo comite de Anhalt domum revertens, propè Frislariam in Hassia à grassatoribus impetitus, cum sese defenderet, transverberatur gladio, capitur Rudolphus, Sigismundus elabitur. *Crantzius lib.11. Metrop.cap.2.*

Gallis, quos ad occupandam Genuam Carolus VIII. Galliæ rex miserat, Giensi duce, Pontremulum deditionem, Triultio ad id hortante, ea lege fecit, ut ne quid detrimenti hominibus, eorumque fortunis miles inferret: verùm irrita fuit ducum fides. Helvetii enim per tumultum magno impetu ingressi, cunctis habitatoribus ad internecionem cæsis, oppidum direptum incenderunt: atque id se facere ulciscendæ injuriæ causa disserebant. Nam Gallis Neapolim ad eiiciendos Aragonios proficiscentibus, dum per Lunigianam iter faciunt, & rixa quædam casu esset exorta, circiter quadraginta Helvetiæ gentis homines à Pontremulensibus cæsi fuerant. Hujus autem maculæ, quam regio nomini in ista clade inus-
C ferat, delendæ cupidi, ut majora tormenta, per aspera, & confragosa Apennini juga maturè transportarentur, humeris suppositis magna alacritate laborarunt. *Guicciard.lib.2.*

Paulus IV. Papa, Cardinalis adhuc, Joannem Moronum Cardinalem accusarat clàm apud Julium III. sed ille aures non adhibuerat. Adepto postea Pontificatu, in molem Hadriani virum conjecit, longo carcere afflixit, ac posttremùm etiam omnibus eum dignitatibus exuere cogitarat, ni morbo urgente aliquandiù differre coactum, postea mors præoccupasset. Oderat jam pridem Hispanorum nomen, qui Lotrechio Neapolitanum regnum post cladem urbis acriter invadente, Carassas gentiles suos omnium primos ex nobilibus ad Gallos desiscentes, agris & oppidis, quæ possederunt, post victoriam adeptam multatos, nonnullos capitali supplicio, reliquos exilii pœna affecerat. Itaque tempus venisse ratus, quo sese, suosque ulciscereturr, undique belli occasionem captabat, omnino sibi persuadens, ad primam belli famam Neapolitanos à rege ad se defecturos. Ergo Hentici II. Gallorum regis fretus subsidio, Columnios anathemate notatos, tota avita ditione in Latio exuit, eandemque in suos cum novis honorum titulis
D contulit, & loca adhæc quædam ad adimendam Columniis recuperandi spem ex bellica arte communiens, Hispanum regem suos tutari solitum in se concitavit. Itaque exortum est inter eos atrocissimum bellum. Eo deinde exitu biennium ferè armis certatum est, ut vastatis, direptisque totius ferè Latii oppidis, multis etiam miserabiliter incendio consumptis, ac Romæ omnibus ferè omnium ordinum hominibus, gravissimis tributis penè oppressis, desperato meliori successu ad pacem Pontifex coactus inclinarit. Suo quoque in Carolum V. Cæsarem veteri odio incensus, translati ab eo per eadem tempora in Ferdinandum designatum Imperatorem imperii tabulas, nunquam adduci potuit ut approbaret, injusso suo confectas esse dictitans, & contra sacrorum canonum statuta. *Panvinius.*

Præcipitata.

Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus, cùm propter Pentecostes solennitatem, pœnam trium virorum (qui monetæ corruptores fuerant) dilatam audiret in alterum usque diem ad altare, Missarum solennia peragendi gratia, priùs accedere noluit, quàm debitam sustinuissent pœnam. Quibus punitis, E Dunstanus lota facie ad altare conscendit, dicens: Nunc confido, quod sacrificium de manu mea suscipiet Omnipotens, ac dum Missa celebrat, columba in capite ejus residit. *Vincentius lib.24.c.79.*

Contestata Monumentis.

Alexander Pheræus lanceam, qua confoderat patruum Polyphronem, consecravit, eique redimitæ ut deo immolans, Tychonem appellavit. *Plutarchus in Pelopida.*

CRUDELITATIS, IRÆ IMMODERATÆ Possessio, Exercitatio, Ratione Habita ipsorummet, qui crudelitatem exercent. Quo ad motum INTERNUM. QUATENUS, scilicet Irascuntur Facile.

Pueros, & Mulieres, illos ætatis, has sexus debilitate ad F iram pronos esse, *Terentius in Hecyra, Act.3. Sc.1.* his verbis testatur:

Pueri inter sese, quàm pro levibus noxiis iras gerunt.
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem mulieres sunt, fermè ut pueri, levi sententia.

Vehementer.

L. Sylla tunc maximè truculentus fuisse dicitur, & aspectu minaci, cùm ejus faciem rubor infestaret. *Alexander lib.3. cap.19.*

EXTERNUM. VIDELICET Optando Vindictam.

Darius, Persarum rex, ut ei nunciatum fuit Sardes captas, incensasque esse ab Atheniensibus, excussa in cœlum sagitta, Atheniensium ulciscendorum occasionem sibi dari optavit. *Herod.lib.5.*

Mysios tempore populi Romani usque adeò feros, ac truces Thracum consuetudine factos ajunt, ut viso M. Crassi e- G xercitu ante aciem equum immolarint, votaque nuncuparint, si vicerint, se cæsorum ducum extis non modo diis sacra facturos, sed pro lautissimo cibo epulaturos: sed nefanda dii vota abominati sunt, quando tantum terroris eis incessit, ut nè tubam quidem pertulerint. Quin & his terrorem Canidius centurio nimis auxit, barbara quoque stoliditate usus: quippe, qui super galeam foculum gerens in hostium fotmidinem, cursu flammam, veluti arderet, agitatam latiùs effundebat. *Bonfinius lib.1.Dec.1.*

Cruciferi Prussi arcem Pomeraniæ Svecam obsidebant: ac duobus patibulis è regione arcis positis exitium obsessis, ni arcem dederent, minabantur. Quo verò majorem terrorem eis incuterent, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. Sustridus legatus Cruciferorum quotidie compluribus funibus in equum impositis, devovebat non priùs se sumpturum esse cibum, quam omnes illos testes in suspendendis Polis, & Pomeranis expendisset. Quadam die cum ad focum adstaret, furiis derepentè exagitatus, in ignem se projecit, & periit. *Cromerus lib.21.*

Captando Occasionem Vindictæ, Per *Consilium improbum.*

Amyntoris Uxor zelotypa Phœnici filio persuasit, uti cum pellice patris rem haberet, quo pellex contubernio filii delinita, senem odio prosequeretur. *Homerus Iliad.1.*

Petrus de Vineis, Friderici II. Imperatoris secretarius fuit. Is cùm hostis esset Alexandri tertii Pontificis, Petrum certis de causis lumine privavit: deinde pœnitentia ductus, adscivit eum in secretius consilium. Cum Imperator angustia rei pecuniariæ Pisis premeretur, consuluit Petrus, vires Ecclesiæ suismet opibus conterendas, conflanda esse ad usum belli Ecclesiarum omnia ornamenta, aurea, atque argentea, inter quæ zona illa, quæ cingebat templum, memorabilis erat. Placuit consilium Friderico, & spoliis Ecclesiarum exercitum paravit. Tum Pettus, Imperator (inquit) injuriam jam abs te injustè mihi illatam ultus sum: tu tibi hominum odia comparasti, ego tibi Deum ex sacrilegio reddidi inimicum. *Poggius in Facetiis.*

Pugnam

Pugnam.

Cùm adversùs Hasdrubalem Livius Salinator bellum gesturus urbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciem, quam hostium vires, animumque cognosceret: primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit. Interrogatusque ab eodem: Quid ita tam festinanter manum conferere vellet? Ut quàm celerrimè, inquit, aut gloriam ex hostibus victis, aut ex civibus proftratis gaudium capiam. *Val. lib.9. c.3.*

Magistrum.

P. Clodius ob Pompejam C. Julii Cæs. uxorem in sacris Bonæ deæ adulteratam Ciceronis testimonio convictus, sed corrupto judicio absolutus, Ciceroni adeò inimicus ex ea re factus est, ut à patribus ad plebem posteà transierit, eo consilio, ut Tribunus plebis factus hominem ulciscereturo, cujus testimonio fuerat in discrimen adductus. Nec defuit voluntati eventus. *Sab.l.5.Enn.6.*

P. Clodius Pulcher à Cilicibus piratis captus, cùm de redemptione, cum eis convenisset, atque ad Cypri regem Ptolemæum misisset, qui mutuo pactam summam cum piratis pos-
B cerent: Rex autem partem tantùm dedisset adeò exiguam, ut accipere eam piratæ recusarent, tandem fine precio à prædonibus est dimissus. Qui cùm posteà Romam venisset, à patribus ob id solùm ad plebem transivit, ut Tribunus plebis creari possset: id quod donec inter patres mansisset, assequi non poterat. Creatus Tribunus: nihil priùs populo proposuit, quàm ingentes Ptolemæi Cypri regis opes: atque populum cohortatus est, ut judicato hoste Ptolemæo, ipse ad eas capessendas mitteretur. *Fulg.l.9.c.10.*

Donum.

Cùm tumultuatio prælio ad Dyrrachium Cæsariani victi essent, cæsi (ut refert Orosius) militum quatuor millia, centuriones viginti duo, plurimique equites Romani: Labienus in suum olim ducem inexpiabili odio accensus, à Pompejo captivos sibi dono dari petiit. Quod cùm impetrasset, productos omnes in medium, & contumeliosissimis verbis increpitos, in conspectu omnium interfecit. Hoc enim eventu Pompejanis tantùm spei accreverat, ut non de bello ampliùs, sed de victoria cogitarent, & multa varia decernerent: & quasi nil
C jam incidere posset adversi, famam victoriæ per terrarum orbem nunciis, ac literis divulgarent. *Joan. Gerund.lib.9. Paralip. Hisp.*

Redemptionem.

Cùm gravi bello Joan. Franciæ Rex ab Eduardo III. Anglorum rege premeretur, Eugenium Gerentirem, omnibus belli artibus peritissimum, cum quadraginta egregiis, ac manu promptis viris, onustum multo auro in Scotiam misit, enixè obsecrans, quantumvis rex illorum David ab Anglis captus esset, ne cessarent bellum sedulò Anglis inferre. Accepere Scoti conditionem, & Anglos ex insidiis circumventos oppressere, plurimos cepere. Tum Gallorum quidam emptos nonnullos Anglos, ac post montem seductos, trucidarunt, in vindictam parentum suorum nuper ab Anglis in Gallia occisorum. *H.Boeth.l.15.*

Simulationem amicitiæ, hospitii.

Joab polemarchus Davidis Regis, & Abisai frater, Abner
D Isboseth regis polemarchum, qui ad Davidem defecerat, specie amici colloquii Hebrone seductum, perfidè interfecerunt, eo quòd Asael frater suus ab Abner in prælio peremptus fuisset. 2.*Reg.*3.

Absalon Davidis F. duobus annis integris captavit occasionem, ut Amnon fratrem ob stuprum sorori Thamar illatum ulciscereturr. Tandem simulata reconciliatione, cum in convivio vino madidum obtruncari curavit. 1.*Reg.*13.

Ajunt, Helenam Menelao mortuo, errante etiamnum Oreste, à Nicostrato, & Megapenthe Menelai filiis pulsam, ac Tlepolemi uxorem Polyxo, cognatam suam, Rhodum venisse. Fuit verò Polyxo Argiva, & Tlepolemum virum in exilium secuta est Rhodum. Quo apud Trojam occiso, ipsa insulæ imperavit, filii parvi suscepta tutela. Necem igitur mariti volens ulcisci, Helenam hospitio suscepit, atque in eam lavantem ancillas furiarum ornatu immisit: quæ illam comprehensam, & ad arborem suspensam, laqueo necarunt. In ejus rei memoriam dedicavere Rhodii Helenæ Dentritidis fanum. *Pausan.in Lacon.*

Scribit C. Oppius Cæsar. familiaris sæpè Cn. Pompejum in Q. Valerium extitisse captum in Sicilia, cum Carbone con- E sule Marianarum partium. Cùm enim sciret humanitatis, & litterarum inter paucos studiosum Valerium, ut actus ad ipsum est, seduxisse illum, & deambulasse una: ubi accepit, & didicit ab eo, quæ cupiebat, imperasse lictoribus, ut illico auferrent eum, & interficerent. Cæterùm Oppio, cùm de Cæsaris hostibus, vel inimicis agit, non temerè adjungenda fides est. *Plut.in Pompejo.*

Octavius Sagitta, Tribunus, à Pontia, cujus amorem ambierat, repudiatus, pecunia noctem unam mercatus, & admissus, ferro eam transverberavit. *Tacitus l.13.*

Svertingus, Saxonum Princeps, cùm Hanefus alter Princeps à Danorum Rege Frothone cæsus esset, nec ipse, vel armis hosti par esset, vel fortuna, Daniæ regem simulata benevolentia convivio excepit, & clàm ignem jussit triclinio admoveri, paratis omnibus ex composito, quæ conflagrandæ domui inservirent: nec dubitavit ipse cladi accedere, dummodo secum hostem opprimeret. Filii autem Svertingi, ut ultionem paternæ necis in filio, regni Danici susceessore, prævenirent, adolescentem nuptiis germanæ sororis conciliarunt: ex qua ille filios suscepit patrii regni successores. Stetit hoc in rerum statu diù quieta Saxonia. Versati sunt, fratres reginæ Danorum in F regia Daniæ, & tranquillitati rerum suarum consulentes, regem conviviis, & cæteris illecebris devinctum habebant, donec Starchaterus vir fortissimus satyrico carmine regem ita inflammavit, ut sacra hospitii, ac mensæ suæ temeraret, occisis in convivio levitis. Saxones libertatem suam per arma tutati sunt. *Crantz.l.1.c.12.Saxon.*

Præmii pollicitationem.

☞ *Ultio hujus est loci. Modus ad calliditatem referri debet.*

Artoxerxes, Persarum Rex, in Themistoclis hostis caput ducenta pronunciavit talenta. *Plut.in Themist.*

Antigonus, & Antipater duces contra Eumenem creati à Macedonibus, libellis per castra Eumenis sparsis, promisere centum talenta, & honestum ordinem ei, qui Eumenem interfecisset. *Plut.in Eumene.*

Epicydes, & Hippocrates fratres, duces Syracusanorum Romanis longo tempore infensi, cùm Syracusanos ad bellum concitare non possent, ad Leontinos Syracusanis inimicos con- G fugerunt, patriam accusantes, quod fœdus Hieronis de tota Sicilia ictum sibi solis vindicarent. Syracusani promulgarunt, si quis Hippocratis, aut Epycydis caput attulisset, se auro id esse repensuros. At Leontini Hippocratem sibi ducem contra Syracusanos crearunt. *Suid.*

Occiso ad lucum Furinæ Cajo Graccho, ajunt caput ejus, cùm ab nescio quo præcisum, & ablatum esset, huic ademisse amicum L. Opimii Cosl. Septimulejum: siquidem pronunciatum initio pugnæ fuerat, Caii, & Fulviis capita referentibus, præmium, ut pari auri pondere rependeretur. Relatum à Septimulejo fuit ad Opimium lancea præfixum. Stateræ allatæ impositum pependit pondo 17. cum besse. Atque hic quoq; consceleratus Septimulejus, & fraudulentus fuit. Nam exempto cerebro insuderat plumbum. Qui verò Fulvii caput attulerunt, quòd essent obscuriores, nil accepere. *Plut.in Cajo.*

In Q. Sertorii caput Metellus, qui cum eo in Hispania bellum gerebat, pronunciavit: Si civis Romanus illum interfecisset, præmium centum argenti talenta, & agrum viginti millium jugerum: si exul, reditum in patriam. Ita apertæ desperatione victoriæ licitabatur illum per proditionem. *Plut.* H *in Sertorio.*

Sacrorum suspensionem.

Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus, de quo suprà, sacris operari noluit, priusquam de monetæ tribus corruptoribus, quorum pœna dilata fuerat in alterum diem, supplicium sumeretur. *Vincent.l.23.c.79.*

Insectationem.

T. Quintius Flaminius ad Prusiam legatus venit, & Hannibalem Rom. nomini infestissimum, hospitem regis, sibi tradi petiit. Hannibal ubi armis omnia teneri vidit, confestim venenum hausit, tantùm effatus: Solvamus Pop. Rom. diuturna cura, quando senis mortem expectare, longum est. Erat jam Hannibal septuagenarius. Sunt qui venenum annulo inclusum habuisse credant. In quo meritò aliquis miretur, tanquam brevi tempore in Romana indole mutationem fieri contigisset, quorum patres Pyrrhum hostem infestissimum, latèque Italiam vastantem, domestica fraude extingui noluissent, in

Bithyniam

Bithyniam virum consularem miserint; ad senem, & exulem
A deposcendum. Sed credibile est, Romanos non tam ob id Hannibalem subiatum voluisse, quia in præsentia formidabilis esset, quàm quòd de Carthagine evertenda consilium Senatus agitare cœpisset, ne suis extremis rebus Carthaginenses illius opera uti possent, novumque molirentur bellum, aut illatum propulsarent, atque ita de eo magis cautè quàm fortiter statuerint. *Sab.l.7.Enn.3.*

Occasionem Vindictæ Ereptam Dolendo.

Tiberius cùm intellexisset, Carnulejum, in quem pro sua crudelitate tormentis grassari decreverat, mortem anticipasse ira, atque indignatione percitus exclamavit: Carnulejus evasit. *Suet.*

Mahumetem II. Turcarum tyrannum ajunt, ad nuncium Joan. Corvini mortis (cujus fortitudine ad Albam Græcam repulsus fuerat) confestim oculos humi defixisse, & solutum in lachrymas dixisse: Nemini unquam à mundi principio æquè ac sibi indolendum, cui tantam ex accepta clade turpitudinem
B ampliùs uscisci non liceret. *Bonfin.l.8. Dec.3.*

Exequendo Ratione Habita.

Rei. Ulcisci alios.

Per Apostasiam.

Uto Vandalorum (qui & Vvinuli, & Selavi dicuntur) Princeps, à quodam Saxonum transfuga interfectus erat. Filius ejus Godescalcus, apud Luneborch, monasterium Ducis, liberalibus erudiebatur studiis, Godescalco Gothorum Episcopo ejusdem cœnobii curam agente. Is comperta morte parentis, ita furore commotus est, ut rejectis cum fide literis arma corriperet, Albique transmisso, Vvinulis se Dei inimieis conjungeret: quorum fretus auxilio, Christianos impugnans, multa millia Saxonum in patris prostravit potestatem. Hunc tandem quasi latronum principem Bernardus Dux Saxoniæ capiens, in custodia tenuit, virum arbitratus futurum fortissimum, juncto secum fœdere dimisit. Qui mox ad Canutum
C Danorum regem profectus in Angliam, ibi mansit multo tempore. Reversus in patriam, Christianismum recepit tanto fervore, ut inter sacra cum sacerdote fuerit ab impiis trucidatus. *Crantz.l.4.Metrop.c.11.*

Benardus Saxonię Dux Mistivojus Vandalorum principi cognatam, seu sororem suam desponderat. At Theodoricus Marchio Brandeburgensis indignum asserens, nobilem puellam cani elocari, nuptias turbavit. Cùm Mistivojus: Ergo si canes sumus, rebiem exercebimus, inquit, adeòque defectione inita, crudelem persecutionem in pios instituit. Hamburgum excidit, Marchionem expulit: nec nisi Henrici II. auxiliaribus copiis, à Bernardo vinci potuit. *Crantz.l.4.c.34.Saxon.Histor. hæc infrà fusius adducitur.*

Defectione, Proditione, Defertione.

Harpagus Medus Cyro exercitum prodidit, ut Astyagem filii carnificem (quem is sibi comedendum proposuerat) ulciscereturr. *Herod.l.1.*

Alcibiades audito, se cum sociis rei capitalis condemna-
D tum: At ostendemus, inquit, eis, bos vivere: conferensque se ad Lacedæmones, bellum Athenienfibus Dicelicum conflavit. *Plut.in Apopht.*

Veneti, Cigalli Oceani accolæ, primi omnium Apennino superato, Clusium Tuscorum urbem oppugnare sunt adorti. Fama est, eam gentem à Clusino Arunte ad id bellum allectam. Is Lucumoni iratus, quòd uxorem suam corrupisset, eam injuriam, cùm in adolescentem opibus præpotentem ulcisci non posset, ad Gallorum opes confugit: quos ut facilius ad id bellum concitaret, fruges indigenas Hetruriæ secum attulit vinum id fuisse ferunt, & atidas ficus. *Sab.l.2.Enn.4.*

Ita universum Pop. Romani equitatum à Fabio Consule ad hostium copias persequendas missum, cùm tutò, & facilè eas liceret delere, legis Agrariæ ab eo impeditæ memorem immobilem retinuit. *Val.Max.l.9.c.3.*

Ita Populum Roman. Appio Claudio duci (cujus pater dum pro Senatus amplitudine nititur, commoda plebis acerrimè impugnaverat) infensum exercitum faciendo, voluntaria fuga terga hostis, ne triumphum imperatori quæreret, dari coegit. *Ibid.*

Cùm per noctem occupato Capitolio ab Appio Herdonio quatuor Samnitium millibus, Consules Val. Poplicola, & C. E
Claudius populum ad recipiendam arcem vocassent: Pop. Romanus patriam perpeti à latronibus diripi, atque incendi, quàm patriciis morem gerere maluit: neque antè de sententia deduci potuit, quam petitam legem Senatus concessit. *Fulg.lib.9.c.3.*

Maximus Senator Rom. Valentiniano III. persuasit, uti Ætium Patricium, imperii columen, tyrannidis suspectum ingularet. Eo sublato, ipse Valentinianum interfecit, & tyrannidis stabiliendæ gratia Imperatricem viduam Eudoxiam, Theodosii junioris Imperatoris filiam, sibi copulavit. Illa in ultionem mariti, Genfericum Vandalorum Regem ex Africa accersivit matrimonio. Maximo à suis occiso, adfunt Vandali, & Romam diripiunt, Eudoxiam abducunt cum duabus filiabus, quarum natu majorem Hunerico filio Genfericus in matrimonium dedit. *Evagr.lib.2.cap.2. P. Diaconus, Zonaras.*

Otho II. Imp. convivio Romæ in Vaticano Principes & Legatos Italicarum civitatum, quæ defecerant, excepit, ac intromissis armatorum catervis, de seditiosis, reliquis spectantibus supplicium sumpsit. At paulò post, cum ad F
Basentellum, Calabriæ oppidum, contra Græcos, & Saracenos prælium esset commissurus, Romani, & Beneventani certamen de summa rerum imminere videntes, starim à signis recesserunt, atque Othonem valido præsidio, nec opinantem nudarunt. Ita exercitus ejus ancipiti torrore perculsus, instantibus hostibus facilè non solùm fusus, fugatusque, sed etiam fœdissima strage concisus est. Ipse ex prælio trepidus vix incolumis ad mare profugit, & cùm se naviculæ commisisset, metu piratarum in mare exiliens natatu sibi consuluit. Addit Sigebertus, ipsum, cùm natando evadere vellet, à prædonibus quinam esset, ignorantibus, captum: Theophaniam verò uxorem, & Theodoricum Episcopum Metensem, qui Rossani confederant, prælii exitum expectantes, simul Othonem captum à piratis audiverunt, ingentem ad eos pecuniam redimendi causa misisse. Cui dum illi avidiùs inhiantes Othonem parum attentè observarent, ipsum perniciissimo equo oblato ex eorum conspectu repentè abreptum. Satis inter omnes constat, hanc cladem tantam fuisse, ut si Græci protinùs inde Romam exercitum adduxissent, ipsam haud magno admodum negotio in potestatem fuerint adducturi. *Sigon.lib.7. G
Regni Italici.*

Conradus Dux Glogoviensis bellum adversùs Henricum Legnicienfem animo versabat, ob interversum Vratislaviensem dominatum. At cùm imparem se illi, esse viribus intelligeret, incautum dolis circumvenire studebat. Luticum unum de familiaribus, & consiliariis Henrici gente Habdancum, donis & promissis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici: & magnis ab eo beneficiis affectus: sed patrem ejus Pacoslaum, gratia, & favore Principis insolescentem, Henricus capite plecti jusserat, quòd is homicidii reus crimen, frustrà dissuadente judice, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorem Henricus postea, collatis in eum plurimis, & magnis beneficiis. At cùm faces Lutici animo subderet Conradus, effecit, ut plus apud eum valeret vetus dolor, quàm tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odram, haud longè ab arce Uratislaviensi, corpus curabat Henricus. Advolat eò Luticus cum armatis. Henricumque nil tale suspicantem, nudum è balneo extrahit, & vili palliolo tectum, atque equo impositum, continuato nocte, dieque cursu, Sanvoithum, quod in ditione Conradi era, asportat. Inde victus Glogoviam perductus, in angustum vas ferreum concluditur: in eo duo erant parva foramina, al- H
terum quo cibum sumeret, alterum quo alvum purgaret. In eo sex totos menses asservatus, neque sedere, neque jacere potuit. Ad extremum eò redactus est, ut jam tabescente corpore, sanies, & vermes de scapulis, & femoribus ejus scaturirent. His malis victus tandem durissimis conditionibus à Conrado dimittitur. *Crom.l.10.*

Ferdinandus Magallanus, Lusitanus vir nobilis, magno animo præditus, in India bellicis in rebus non mediocre virtutis, & industriæ documentum dederat. In Africa similiter viri valdè strenui officio functus fuerat. Is pro meritis suis contenderat, ut congiarium regium dimidio nummi aurei singulis mensibus augeretur. Rex, ne aditum ambitiosis aperiret, id denegavit. Magallanus offensione hujus beneficii sibi eo tempore denegati commotus, à Rege defcivit, cùm prius publico testimonio fidem & Regi, & patriæ debitam abjurasset: & se continuò ad Carolum contulit, eumque admonuit, insulas, quas

quas Molucas appellant, quæ sunt ultra auream Chersonesum
A constitutæ, ad limites Castellæ pertinere, & ab Emmanuele Rege contra pactionem jam factam usurpari. Ducebat autem secum Rodericum Falerium, qui se Astrologiæ disciplinam tenere profitebatur, ut eandem opinionem in animo Caroli altiùs imprimeret. Carolus ab Hispaniæ proceribus persuasus, ne illius affinitatis obtentu imperium amplificare negligeret, naves Magallano, quibus aliam viam in Orientem aperiret, attribuit. Itaque Magallanus, & Falerius Hispalim contendunt. At Falerium jam facinoris suscepti pœnitebat, & intra paucos dies mœstitia confectus, mortem obiit. Magallanus, cum quinque navium classe, & cum suprema necis, atque vitæ in reliquos navarchos potestate, anno 1520. 19. die Augusti solvit, ut terras, atque regiones, quas neque viderat, neque ab aliis exploratas audierat, sed suspicione tantùm eas adiri posse consequutus fuerat, perlustraret. *Osor. l.11. Rerum Emmanuelis.*

Idololatria, Impietate.

Mediolanensis quidam, inimicum ulturus, quem in manu habebat, pugione faucibus admoto, se jugulaturum
B esse minatus eum, renunciaret Deo, ad renunciandum compulit: nec semel fecisse contentus, renuntiare jussit ex animo, idemque sæpiùs repetere. Quo facto, eum jugulavit, dicens: Sic de corpore simul, animoque vindictam sumpsi. *Bodinus.*

Lugduni Curates S. Joan. minoris vivus crematus est anno 1540. eo quòd dixisset, se in Missa non consecrare, nec conficere verum Christi corpus, ut damnationi parochos suos subiiceret, non Deum pro Deo adorantes: quia sibi (ut ajebat) lis cum ipsis erat. Sed justam miseri popelli ignorantiam excusatam habuit Deus. *Bodinus.*

Cæde horrenda, miserabili.

☞ *Consule Tit. Astus in vitæ insidiis.*

Hetrusci feroces in pœna excogitanda, virorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata, atque constricta, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ,
C tabescere simul patiebant, amari vitæ pariter, ac mortis tortores. *Val. lib.9.cap.2.* Hoc Mezentio Rutulorum regi tribuit Maro.

Morem fuisse Scythis perveterem, scribit Plinius, sagittarum aciem tingere viperina sanie, & humano sanguine, irremediabili scelere. Nam mortem illico affert, etiam levi tactu. Observabant autem Scythæ viperas (ut testatur. *Arist. in Admirabilium relatione*) ubi jam peperissent, sic enim captas diebus aliquot liquescere sinebant: mox ubi computruisse viderentur satis, in ollam sanguinem hominis unius totum infundebant, adobruebantque in sterquilinio, vase diligenter obturato: ubi verò & hic contabuerat, eximebant, sumentesque, quod supernatasset jam aquosum, sanieique viperinæ permiscentes, ita lethale conficiebant venenum. *Cælius lib.23.cap.10. Antiq. Lect.*

Jason Thessalus, Æsonis filius, Corinthum veniens, cùm adduceret etiam Medeam, Ætæ Regis filiam, cujus ope ex Colchis aureum vellus in Græciam ablatum portaverat: post oblitus omnium beneficiorum, eam repudiavit: & fide data Creontis Corinthiorum regis filiam Glaucen in uxorem du-
D xit. Medea à Creonte è terra Corinthiaca excedere jussa, supplex facta, cùm Jasoni, tum Creonti, simulans se oblitam omnium injuriarum, ad unum diem, ut adhuc manendi potestas sibi daretur obsecravit. Id adepta, gratitudinis ergo Glaucæ novæ nuptæ mittit per liberos, vestes artificiosissimè parasisset, & vestes induisset: veneno, quod Medea in iis absconderat, circumventa, concidit. Creon, dum filiæ conatur succurrere, in amplexu filiæ extinctus est. Interfectis quoque, quos cum Jasone habuit liberis, curru draconum alatorum subla-
ta, transfugit è Corinthio Athenas, ubi nupsit Ægo Pandionis filio. *Euripid. in Medea.*

Auctor Eutropius est, Superbum Tarquinium excogitasse primum vincula, taureas, sustes, compedes, latomias, metalla. *Cel.l.10.c.4.Antiq.Lect.*

Amestris Xerxis uxor, uxorem Masistæ, Bactrianorum præsidis, excarnificavit. Ejus mamillas præcidit, quas objecit canibus. Item nares, aures, labra, linguam inhonestissimis deformavit plagis. *Plut.in Artaxerxe.*

L.B.Theat. vit. Human. Tom.II.

Cyri junioris interfectores magnis à rege Artaxerxe victore muneribus affectos, Parysatis amborum mater alios alia frau- E
de aggressa, exquisitissimis posteà suppliciis necavit. Carem, qui poplitem percusserat, decem dies variis cruciatibus affectum, mox effossis luminibus, æreque liquefacto auribus infuso, necari jussit: Metrodotem (is enim primus circa oculum vulnus inflixit) duabus clausit scaphis, ita compactis, ut caput, & crura duntaxat extarent: ad Solem inde obvolutum melle cibari jussit, & lacte, ut invitus etiam comesse, potareque coegeretur; fiebat eò muscarum concursus ingens, earumque examina, ora, oculos & crura incessere: hæ enim partes extabant, erantque eisdem liquoribus delibutæ: excrementa corporis, utpotè ex dulci materia, scaphis excepta vermes procreabant, quibus vestes primò, mox corpus ita est corrosum, ut nuda ossa, cum stupore spectantium cernerentur. Atque ita Metrodotes decimo die miserabili cruciatu periit. Novissimè Mesebatem Eunuchum, qui jacenti Cyro caput, & manum recidit, in suam potestatem redactum, pelle enudari jussit, ipsumque tribus palis affixum evaticari fecit. Atque per hæc percussorum supplicia Cyri manes evagati, postremò quievere. *Sab.lib.9.Enn.3.ex Plut.*

Ochus, qui posteà Darius appellatus est, sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione, F
quæ septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut alimentorum inopia necaret: crudeliorem mortis rationem excogitavit, quæ hos junctos sibi, non perpetuo vinculo religionis, tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere complevit: suppositoque tigno prominente, benignè cibo, & potione exceptos in eo collocavit: è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem deciderunt. *Val.lib.9.cap.2.*

Locrenses, crudelem Dionysii libidinem ulciscentes, sublato per Dionem ejus regno, uxorem Dionysii una cum filiis non tantùm prostituerunt, sed post expletam etiam libidinem, compunctas acubus intra digitorum ungues, interemerunt: ossa in mortariis contusa in mare projecerunt, carnes ab ossibus abstractas si quis non comedisset, cum diris devoverunt. *Ælian. lib.9.de Var. hist. & Athenæus l.12.c.19. & Strab.lib.6.*

Inter multa crudelitatis Phalaridis Agrigentinorum tyranni exempla celebratur in primis æneus ille taurus Perilli, sive Perilai (nam sic appellat Lucianus) inventum: quo subiecto igni mortales vivi sic exurebantur, ut pro ejulatu humano mugitum ederent morientes. Eum taurum, exusto primùm in eodem G
artifice, Delphos misisse legitur, ut Phœbo dicatus, in ejus templo reponeretur, monimentum futurum simul, & artis exquisitissimæ, & inventi crudelissimi, & pœnæ meritò in auctorem retortæ. Verum Delphi munus ut à tyranno missum repudiarunt. *Erasm. in Adag.*

L. Catilina M. Mario Gratiano, qui ter Tribunus plebis, & bis Prætor fuerat (ut T. Cicero in Præneni ad fratrem Marcum scribit) primùm brachia, & crura fregit, aures deinde, linguam, & nasum præsecuit, oculos effodit, postremò capite truncavit. *L. Vives in l.7. Aug. de Civ. Dei, c.2.*

Tiberius Imp. mortem filii Drusi veneno interfecti crudeliss. ultus fuit. Carnificinæ ejus ostenditur locus Capreis, unde damnatos, post longa, & exquisita tormenta, præcipitari coram se in mare jubebat: excipiente classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadavera, ne cui residui spiritus quicquam inesset. Excogitaverat inter genera cruciatus etiam, ut larga meri potione per fallaciam oneratos, repentè veretris deligatis, fidicularum simul urinæque tormento distenderet. *Sueton.* H

Opilius Macrinus Imp. Tribunum, qui excubias deseri passus erat, carpento rotali superadnexum per totum iter vivum, atque exanimem traxit. *Jul. Capitolinus.*

Cùm quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravasse suspecti essent, atque per quendam frumentarium idem Macrinus id didicisset: adduci eos jussit, interrogavitque utrùm esset factum. Quod cùm constitisset, duos boves miræ magnitudinis vivos subitò aperiri jussit, atque his singulos milites inseri, capitibus, ut secum colloqui possent, exertis. *Jul. Capitolinus.*

Tursinem Zelebi agentem mensem 18. Moyses Bassa, jubente, & immotis oculis atrocitatem facinoris inspectante Mahomete Sultano fratre, multa vi aquæ obrutum suffocavit. Hanc immanitatem cùm pueri Mater horribili ululatu, planctuque detestata esset, Bassæ cor cultro transfixit, & rimata in dissecto cadavere hepar, id inde extractum canibus laniandum obiecit. *H. Henninges in Geneal. Othomanicæ famil.*